


ANIMADVERSIONES
IN
POETAS TRAGICOS GRAECOS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSISATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT
ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE VI. MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXIV
HORA XI
IN PVBLICO DEFENDET

CHRISTIANVS BAIER
HASSVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:



FELIX HETTNER STVD. PHIL.
FRIDERICVS THEDINGA STVD. PHIL.
OSCAR BRUGMAN STVD. PHIL.

CASSELLIS
FORMIS BAIER & LEWALTER.
MDCCCLXXIV.

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.

I.

De tragicorum Graecorum synizesis usu.

Synizesis usum quisquis inlustrare atque adumbrare conetur, quin accurate ei discernenda sint duo genera eodem nomine ab antiquis comprehensa, quorum alterum una contineatur voce, alterum duas voces quasi conliget inter se, dubium esse nequit: verum equidem tantum in prius illorum generum eiusque usum tragicum inquisiturus fore spero, ut idoneas causas reddere mihi contingat, cur quasi proprium huius nomen synizesis esse voluerim. Synizesin enim sive synecphonesin quod Augustus Lobeckius (Pathol. Graec. serm. elem. II. p. 4.) affectionem censet esse talem, »quae figuram vocis non mutet, sed sonum modo, velut si *ἀλλοειδής* in tres cogatur syllabas«, in universum quidem pariter etiam veteres scriptores grammatici vel metrici de illa loquuntur. Quorum qui in hac quaestione procul dubio est praestantissimus Hephaestionis quod exstat *περὶ συνεκφωνήσεως* caput (enchir. II.) ab his incipit verbis: *συνεκφώνησίς ἐστιν, ὁπόταν δύο συλλαβαὶ σύμφωνον μὴ ἔχουσαι μεταξὺ ἀλλήλων ἀντὶ μιᾶς παραληφθῶσι* [1]), quae hunc in modum a scholiasta

---

[1]) Deinde in diversis exemplis proponendis eam sequitur rationem, ut secundum syllabarum speciem per synizesin contractarum quattuor euis genera esse statuat: *ἢ γὰρ δύο μακραὶ εἰς μίαν μακρὰν παραλαμβάνονται — ἢ βραχεῖα καὶ μακρὰ εἰς μίαν μακράν — ἢ δύο βραχεῖαι εἰς μίαν μακράν — ἢ δύο βραχεῖαι εἰς μίαν βραχεῖαν.*

explicantur: *διαφέρει δὲ συνεκφώνησις συναλοιφῆς. κλοπὴ γάρ ἐστι χρόνων αὕτη, γραμμάτων κλοπῆς οὔσης τῆς συναλοιφῆς. ὅτι ἡ μὲν συναλοιφὴ ὡς γράφεται καὶ βαίνεται — ἡ δὲ συνεκφώνησις ὁλοκλήρως μὲν γράφεται, βαίνεται δὲ ἐλλιπῶς — κοινὸν δὲ ἑκατέρας τὸ παρατηρεῖν, μὴ σύμφωνον ᾖ μεταξύ.* (cf. Crameri anecd. IV. p. 326.) Similia autem illis quae Hephaestion eiusque scholiastae tradiderunt eodemque fere, ut videtur, e fonte derivata apud plerosque posterioris aetatis metricos Graecos leguntur, quos vix opus est singillatim afferre [1]; praeterea qui inter Latinos eandem rem paucis attigit, Marius Victorinus p. 2509, quamquam ad verbum fere consentit cum Hephaestione, eam tantum synizesin, quae una voce continetur, spectare videtur [2]. Utut autem de hoc iudicandum, Graecos cum ex ipsa synizesis descriptione tum ex exemplis eius adlatis (*ἢ οὐχ, ἐπεὶ οὔτε*) apparet docere, affectionem hanc non solum in duabus eiusdem vocis syllabis adhibitam exstare, verum etiam in duabus vocibus, quarum haec vocali claudatur, illa a vocali ordiatur. Huic autem synizesis generi etiamsi cum priore illo in una voce occupato id commune est, quod in metro duae syllabae in unam coartantur scriptura oculis non propositam, tamen multo artiore vinculo cum crasi inter duas voces facta posterius coniunctum esse, quin etiam eisdem atque illam obnoxium legibus, doctam accuratamque H. L. Ahrensii de crasi et aphaeresi commentationem quicunque cognoverit nullo modo negabit (cf. Ahr. p. 2 sqq.); certe enim revera inter utrumque, si ita dicere licet, crasis genus nullum intercedit discrimen aliud, quam quod ‚hae vocalium coniunctiones ipsa scriptura oculis proponuntur, illae legentium auribus permittuntur' neque audacius

---

[1]) cf. Draco Strat. de metr. poët. p. 145. 6. Trich. de metr. p. 44. 6. Elias de metr. p. 81 sqq. — Etym. M. p. 735. 36. Eustath. ad Il. *Α*. p. 11. 21 = 9. 22.

[2]) ‚*συνεκφώνησις* vero cum duae vocales in unam syllabam coguntur, quae possunt duarum syllabarum locum divisae complere, nulla dumtaxat interposita consonante'.

videbitur conicere, tales vocalium coniunctiones, quales exstant in μὴ οὐ et similibus eam solam ob causam literis non fuisse expressas, quia exprimi facili negotio non potuerint. Quo autem leviore fundamento nituntur, qui synizesin inter duas loquelas adhibitam a crasi illa internoscunt, eo gravioris esse momenti mihi persuasum est, quam accuratissime distingui hanc synizesis rationem ab altera, qua eiusdem vocis syllabae copulantur, quippe quod genera duo prorsus inter se diversa licentiae cuiusdam poëtarum fuisse videantur. Crasis enim eodemque modo synizesis inter duas loquelas facta quin a volgata loquendi consuetudine profectae sint atque, quamvis poëtarum libidine vel auctam vel imminutam sermonis hanc libertatem statuas, in universum quidem cum ea congruant, neminem iam puto dubitaturum. Quae res cum per se consentanea est tum eo satis superque demonstratur, quod hac crasi ubertim utuntur comici Attici, paulo, ut videtur, rarius minusque libere tragici in diverbiis, rarissime eidem in melicis tragoediarum partibus. Contra synizesis duarum eiusdem vocabuli syllabarum, velut θεός monosyllabi et similium, prorsus alia est condicio. Ac primum quidem tragoediae eodem fere in omnibus partibus modo hanc permittunt synizesin, paene uberius ac maiore cum licentia in canticis; apud comicos autem cum Meinekius iam censuerit (Com. Graec. fr. II. p. 652.) neque τέως neque θεοῦ monosyllabum esse, nescio an iure G. Dindorfius totam synizesin a comoedia alienam esse atque abhorrere statuerit [1]). Qua de re tamquam artissime coniuncta cum tota synizesis indole recte intellegenda, paulo fusius expositurus quantum Dindorfii iudicio tribuendum sit ut dignoscatur, non est periculum, ne sine causa ac ratione videar operam consumere. Maximam igitur quae adhuc feruntur synizesis exemplorum Aristophaneorum partem postquam Rumpelius (Philol. XXVI. p. 241: Zur synizesis bei den tragikern. adnot. 10.) collegit ac perlustravit quamvis ea qua

---

1) cf. inprimis eius adnot. Oxon. ad Vesp. 1067. 1069: ‚synizesin non fert usus comicorum'. Pac. 906.

par erat diligentia non usus, pauca his addenda mihi restant. Inter quae eos versus nolui recipere, quorum lectionem traditam vitio laborare inter viros doctos hodie constare videtur: quos si accuratius pertractarem, et magna quidem ex parte acta agerem et iustos fines commentationis excederem. Materia enim cum amplissima disputandi ultro in his sese offerat, tantum gravissima quaestionis capita hoc loco perstringere conceditur. Neque Doricam comoediam plane neglegere non satius erit, quippe quam multifariam recedere ab Attica pateat; Epicharmum autem omnino non refragari synizesis usui, luculenter probare videntur *θεοῖς* et *θεοί* unius instar syllabae ab illo posita (cf. Epicharm. fr. XIX, 11 et XCIV, 1 Ahr. Lorenz, Leb. u. Schrift. d. Koers Epicharm. p. 227. 267.). Praeterea Rumpelius ea synizesis exempla Aristophanea iure seorsim exhibuit, quae aut in epicorum tragicorumque versibus sive verbis a comico adlatis invenirentur aut ad alios poëtas, potissimum tragicos, consulto imitandos deridendosque pertinerent; quorum sat magnus est numerus. Etenim accedunt vocabulis a Rumpelio compositis his: *Πρωτέως* Thesm. 874 (Euripidis versus Hel. 557 cum Kirchhoffio videtur corrigendus.), *Μενέλεων* Thesm. 901 (libri *Μενέλαον*: *Μενέλεων* Kusterus *Μενέλαν* Meinekius. *ἐμόν* vix mihi persuadeo expungendum esse cum Hermanno.), *θεοί* Thesm. 905 (nescio an totus versus Euripidi Hel. 557 sit restituendus, certe non impedit formula *ὦ θεοί* v. 560, quem ut praecedentem ab Aristophane omissum recte ab Euripide abiudicavit Dingelstad, de Eurip. Hel. p. 54.), 1098 tragica exempla: *Πρωτέως* Thesm. 891, *θεῶν* monosyllabum Aristoph. fr. 146 (cf. Meinek. Com. Gr. fr. II. p. 962) ex Euripidis Hipp. 219 desumptum, fortasse *θεοῦ* quoque Vesp. 1519 (coni. Bergk., cui adstipulatur Meinekius, Arist. com. I praef. p. LXXII: ‚monosyllabum *θεοῦ* in parodia versus tragici nihil offensionis habet'.). Prorsus similiter etiam de *Ἀθηνέων* Nub. 401 ex Homeri Odyssea (V. 278) expresso iudicandum erit; contra omittenda hic sunt, quae Rumpelius simul adtulit, *χρυσέων* Thesm. 107 quod certe trisyllabum est, et *Πηλέα* Ran. 863 quem versum puto cor-

ruptum neque correctum a Dindorfio. Neque ullo modo defendi potest λεώς monosyllabum, quod Aristophanis codices tradiderunt Thesm. 39 (λαός Suid.): qualis synizesis ne tragicis quidem usitata est; praeterea paroemiacus quo modo tolerari possit ignoro. Quibus versibus exceptis perpauca tantum restant synizesis exempla Aristophanea eaque unius eiusdemque omnia rationis, si quidem a numero eorum, quae Rumpelius praebuit, recte excludimus voces Θεαγένης (de qua cf. Dindorf. annot. Oxon. ad Pac. 928: »eadem librorum discrepantia in Thucydidis, Xenophontis aliorumque scriptis, sed ut Θεαγένης plerumque in deterioribus, Θεογένης in antiquis codicibus legatur, commendatum illud etiam marmoris Sandvicensis auctoristate.« Kock, Arist. Voeg. v. 822), πυργορεῶνας (cf. Dind. annot. Ox. ad Av. 1113), τῆς ὕβρεως (Dind. ὕβρεος). Minus autem certe affirmaverim de χρυσέαις Nub. 272: quo in loco magnificentia quadam et granditate orationis insigni etiamsi non prorsus detestor synizesin praeferendam illam sine dubio anapaesto quem Dindorfius statuit, χρυσαῖς genuinam scripturam fuisse coniecerim [1]). Quibus remotis iam quae relinquantur Aristophanea synizesis exempla circumspiciamus. Ac primum quidem vox ἐῶ unam syllabam longam efficit Lys. 734; simili modo imperativus eiusdem vocis ἔα monosyllabus legitur duobus locis Eccl. 784, Nub. 932, forma θέασ᾽ Pac. 906; aliis in versibus res ita sese habet in eorundem vocabulorum formis, ut aut unam syllabam statuas necesse sit aut rariorem anapaesti usum: ἔα Thesm. 64, 176, θεάσαι Thesm. 280, θεᾶσθ᾽ Eccl. 270, quarum rationum quin prior sit probabilior ego non dubito. Praeter illa solae voces νεανιῶν (Vesp. 1069) et νεανικὴν (Vesp. 1067) in versibus chori trochaicis ita inveniuntur, ut primariae syllabae unius instar positae sint. Qua in re potissimum mireris, primum quod tam exiguus exemplorum est numerus tamque augustis circumscriptus finibus, deinde quod ne una

[1]) De formis non contractis huius vocis saepius a librariis falso scriptis cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 207.

quidem apparet eiusmodi synizesis quales creberrimas apud poëtas tragicos admissas invenimus, syllabarum scilicet finalium *εως*, *εων* atque vocis *θεός* [1]). Quod qui eo studebit excusare sive explicare quod propter anapaesti in trimetris usum comicum supervacanea fuerit synizesis licentia, ex eo optimo sane iure quaerendum erit, quam ob causam in vocabulis illis *ἐάω* et *θεάομαι* eius usum comicus minime respuat, cum vitare facillime potuerit. Huc accedit quod qui synizesin e communi volgi Attici ore originem duxisse sibi persuaserunt, eis talem licentiam ipsi volgaris sermonis Attici auctori gravissimo, Aristophani, summopere acceptam fuisse necessario statuendum foret. Longe autem aliter Dindorfius. Qui commotus potissimum paucitate ac similitudine exemplorum Aristophaneorum synizesin quidem plane alienam esse, ut diximus, statuit a comicis poëtis; quaeque vulgo eius ferrentur exempla supra enumerata ea non esse synizesis sed synaloephes. Atque contractarum quidem formarum *ὦ*, *ἆ* (pro *ἐῶ*, *ἔα*) ex ipsa antiquitate adhuc vestigium servatum esse addidit in adnotatione scholiastae ad Thesm. 500: *ὅτι καὶ συστολαῖς βιαίοις χρῶνται καὶ ἐκτάσεσι· καὶ ἄνω* (v. 176) *ἀλλ' ὧνπερ οὕνεκ' ἦλθον ἅ μ' εἰπεῖν βούλομαι* (Dind. corr. *ἀλλ' ὧνπερ οὕνεκ' ἦλθον ἅ μ' εἰπεῖν· λέγε*), quem in eiusdem fabulae v. 176 simplicem literam *α* non *ἔα* legisse sponte appareret. Verum quo libentius ipse totam synizesin abiudicaverim a comicis quoque minus offendo in formis illum in modum contractis (quibus comparare possis *ἀναδῶν*, *δῇ*, *ἐγχῇς* alias, de quibus cf. Lobeck. Path. Gr. serm. el. I. p. 243 sq.), eo minus Dindorfii ratiocinationem a scholio illo profectam agnosco ac probo. Sagacissima sane et speciosa eius de scholii verbis corrigendis est coniectura, sed etiamsi recte correxerit, in uno tali scholio rectioris scripturae vestigia servata esse, hoc

---

[1]) De Acharn. 175 quod coniecit Seidl. de vers. dochm. p. 392: „fortasse *Ἀμφίθεος* creticus est" parum est probabile. — *πόλεως* ubi in Aristophanis trimetris legitur, non synizesin pati sed anapaesti mensuram tenere vel ex eo colligi potest quod nusquam in fine trimetri positum exstat. Similiter de aliis huiusmodi iudicandum.

probabile esse nullo modo possum mihi persuadere. Alia igitur argumenta potius circumspiciamus. Atque ne tragoediam quidem a forma ἔα monosyllaba prorsus abstinuisse, aperte ostendunt Sophoclis Oed. R. 1451:

ἀλλ' ἔα με ναίειν ὄρεσιν ἔνθα κλῄζεται κτλ.

et Antig. 95:

ἀλλ' ἔα με καὶ τὴν ἐξ ἐμοῦ δυςβουλίαν κτλ.

Perperam vero contractam formam ἐᾷ Dindorfius et Nauckius Oed. R. 1513 videntur obtrusisse, ubi recte Meinekius: οὖ καιρὸς ᾖ ζῆν; duobus aliis locis res admodum in dubio est: Trach. 1005 in carmine dochmiaco, ubi Seidl. d. vers. dochm. p. 313 alterum ἐᾶτε disyllabum esse voluit, et Oed. Col. 1192. Denique Jonis Euripideae v. 390 graviter corruptum legi in libris manu scriptis vix est cur moneam. Tragico autem fere frequentior vocis ἐάω hoc modo deminutae Homericus usus est, cuius exempla collegit Clarkius ad Il. Δ, 42 (cf. Spitzner de versu Graec. heroico p. 185. Ebeling. lex. Hom. p. 330)[1]. Similiter etiam in voce νεανίας res sese habet. Quid quod invenimus eius simillimam νεανίδων semel ut trisyllabam adhibitam ab Aeschylo, Eum. 959; compluribus deinde in locis νεανίας pariter exstat apud Euripidem, non in trimetris quidem, attamen in canticis inque primis dochmiacis. Cui cum imputari non possint neque quod Cycl. versui 28 restitui voluit Piersonus (Verisim. p. 142) νεανίαι adstipulante Hermanno (ubi rectius tamen synizesin quam anapaestum statueres) neque Iph. Aul. 615 (νεανίδαισιν B νεανίδεσσιν C: Piersonus νεάνιδές νιν, delendos v. 607—630 iure statuit Dind.), de duobus locis dubitationem non puto existere posse, Hel. 666, dimetro dochmiaco: οὐκ ἐπὶ λέκτρα βαρβάρου νεανία et Phoen. 146 sq. et ipsis dochmiis: ὄμμασι γοργὸς εἰςιδεῖν νεανίας. Dubius vero est tertius, Iph. Taur. 647, ubi haec codices:

σὲ δὲ τύχας μάκαρος ὦ νεανία
σεβόμεθ' εἰς πάτραν
ὅτι ποτ' ἐπεμβάσει.

---

[1]) cf. Lobeck. Path. Gr. serm. el. II. p. 293 sq.

Quos versus postquam bene intellexit Seidl. d. vers. dochm. p. 357 respondere praecedentibus 642 sq., responsio in libris obliterata qua ratione in integrum restituenda sit, licet ambigere. Neque vero mihi quidem, quamquam emendationem omnibus numeris absolutam nec prolatam esse adhuc existumo nec proferre ipse possum, hoc unum dubium esse videtur, quin iure Hermannus iudicaverit, non veri simile esse haec antistrophica praesertim tam brevia non singulis inter se syllabis respondisse; cumque vix putem quemquam adstipulaturum ei qui strophae versui tali:

κατολοφύρομαι σε χερνίβων

respondisse antistrophicum hunc:

σὲ δὲ τύχας μάκαρ νεανία

coniecerit, in eo acquiesco ut et v. 643 et 647 refingendum esse ratus dimetrum dochmiacum vocem *νεανία* pro cretico positam fuisse mihi persuadeam. — Habemus igitur non solum in comoedia sed etiam in tragicorum fabulis voces *ἔα* et *νεανίας* sive eius similes ita adhibitas, ut in unam syllabam coniungantur syllabae *εα*. Utrum autem synizesis haec sit putanda au synaloephe, utrum discrimen in hac re intercedere statuendum sit inter poëtas tragicos et comicos an eadem utrorumque habenda ratio, difficile est ad diiudicandum. Atque *ἔα* quidem monosyllabum quod solum apud Sophoclem inveniatur, multo cautiorem illum in synizesi adhibenda quam Euripidem, cum minoris faciam, quae graviora fortasse ducas argumenta synizesi in illis factae possis opponere. Itaque syllabarum *εα* synizesin, id quod certe maioris est momenti, Aeschylus omnino nullam exhibet, invenitur demum apud Sophoclem et Euripidem; et insuper *νεανίδων* in ea exstat Aeschyli fabula, quae si non minimum ex omnibus, tamen satis parvum synizesis exemplorum numerum praebet. Contractae autem verbi *ἐῶ* formae cum plane non careant veri specie, ut supra monuimus, etiam in vocibus a *νεός* derivatis, quarum *νεανίας* est, neque syncope vocalis *ε* neque primarum syllabarum synaloephe inaudita est: forma enim *νοσσόν* pro *νεοσσόν* Aeschylum esse usum docet Antiatt. Bekk. p. 109, 22 (cf. Eustath.

228, 46, unde *νοττία* Aristoph. Av. 547 recte reddidit Dindorfius), *νῆνις* autem quemadmodum Anacreonteum testantur Etym. M. p. 448, 25 eodemque ex auctore pendens Draco p. 46, 17, *νέα* in *νῆ* contractum adhibuerat Aristophanes in Aeolosicone, dummodo recte emendata sint Herodiani illa (I. p. 405, 5 Lentz): *ἀλλὰ καὶ ἡ νέα νῆ εἰρημένη — παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν διυσίλλωνι* (*ἐν Αἰολοσίκωνι* Dind.) *καὶ* (*κ'* inseruit Dind.) *ἐπιθυμήσειε νέος νῆς ἀμφιπόλοιο.* Quae cum arte coniungenda videantur cum *νεανίας* illo trisyllabo, quodammodo conferri poterunt aliae quoque formae, plerumque solis a grammaticis commemoratae, velut *νᾶνος* (*ὁ μικρός* cf. Herod. I. 176, 2 L.) sive *νάννος* (cf. Aristoph. Pac. 769 c. schol. Aristot. H. A. 6, 24. Hesych. s. *νᾶνος*) indeque derivatum *ναννίσκος*, neque nimium fortasse abest Hesychii glossa: *ναννάζων· παιζόμενον* (*παῖζον* coni. Meinekius), quas formas ad unam omnes eadem a stirpe profectas esse nescio an verisimile sit. Quare etsi certa ac necessaria argumenta desideres, synaloephes in *νεανίας* usus saltem probabilitate omni haud destitutus esse videtur. — Utut autem de illis quae in Aristophaneis vulgo feruntur synizesis exemplis iudicas, hoc certe mihi concedes, quae volgata quidem apud poëtas tragicos inveniuntur synizesis exempla, ea ab Aristophane non fortuito esse omissa, verum consulto vitata. Cuius rei causam non in eo positam esse posse in propatulo est quod Aristophanes tamquam antiqui moris sectator Aeschyleaeque artis praecipue laudator synizesin ab Euripide amplissime adhibitam spreverit (qualia Rumpelius hariolatur), verum quod iam supra significavi, quale frequentatum videmus a tragicis synizesis genus id ab usu comicorum in universum quidem exclusum fuisse quasi alienum a volgari sermone. Iam liceat coniecturam mihi adserere, quam tantum abest ut certam perhibeam, ut ipse de probabilitate dubius haeream. Dramatis enim satyrici constat post Hermanni observationes eam esse condicionem, ut cum in loquendi genere tum in numerorum severitate aliquantum discriminis intercedat inter graves tragicasve personas et satyros eorumque similes; velut in horum

sermone et longae quinti pedis syllabae et anapaesto locus conceditur, versus igitur propius accedit ad comici senarii licentiam. Synizesis vero exempla, quae in Cyclope Euripidea inveniuntur tali modo Ulixem inter et Polyphemum, Silenum, satyros distributa sunt ut in Ulixis trimetris non minus quattuor inveniantur synizeses hae: πόλεως v. 115, θεοῦ v. 286, πήχεων v. 391, θεῶν v. 624, in illorum duae tantum: θεόν v. 231 (anapaestum enim huic versui nolim intrudere)[1]) et πρὸς θεῶν v. 679 (pro quibus quod aliquando putavi restituendum πρόσθεν nunc reicio). Porro in canticis omnino nulla admissa est synizesis. Qualis ratio cum per se mira est propterea quod, nisi in calculis erravi, Ulixis circiter centum octaginta octo sunt trimetri, reliquarum personarum universi trecenti quadraginta quattuor (hoc est 1:1,83), tum eo gravior fit quod quae eodem fere tempore quo Cyclops actae esse videntur[2]) Euripidis tragoediae multo maiorem synizesis exemplorum numerum praebent. Haud igitur improbabile mihi videbatur statuere, ipsam eandem ob causam, quam propter Aristophanes in universum non usus esset synizesi, etiam ab Euripide paulo rarius eam admissam fuisse in dramate satyrico ac praecipue in satyricarum, ut ita dicam, personarum versibus, quippe quorum ratio propius abesset a cotidiana volgi eademque comoediae loquendi consuetudine.

His missis priusquam ad ipsos tragicos aggredior, qui nostris temporibus de synizesi eiusque usu tragico egerunt, quam poterit brevissime erunt recensendi. Inter quos primo certe loco, qui totius doctrinae metricae quasi fundamentum

---

[1]) Hermannus in anapaestorum exemplis enumerandis (praef ad Cycl. p. XV.) consulto omisisse videtur hunc versum, quem anapaesti causa commemoravere Rossbach.-Westphal. Metr. d. Gr.[2] II. p. 486

[2]) Cyclopem paulo ante Aristophanis Vespas hoc est ante ol. 89,2 actam esse (coll. Cycl. v. 203 sq. Vesp. 1326 sq. c. schol.) persuasum habeo.

posuit, nominandus erit Godofredus Hermannus; cuius in eo elementorum doctrinae metricae capite, quod ad prosodiam spectat, etiam de synizesi sive synecphonesi satis ampla est disputatio, tamen quin totam quaestionem uberius atque accuratius pertactaret, ipsius operis natura prohibuit. Neque igitur, quod ad tragicos poëtas adtinet, quae creberrima exstant usitataque synizesis in mediis vocabulis factae exempla copiose composuit quaeque inter singulos poëtas intercederet diversitas indagare studuit, sed solas proposuit synizeses, quae in libris leguntur, minus solitas minusque volgares. Atque quibus in versibus duae syllabae unius instar pronuntiandae traditae sunt, quarum prior vocalem *α* vel *υ* vel *ι* exhibet, eos quamvis essent pauci pro reliquorum exemplorum multitudine omnes defendendos integrosque relinquendos statuit. Tamen in his ne ipse quidem prorsus sibi constitit; immo postquam Elmsleius ad Eurip. Bacch. 996 nullum synizesis in vocali *ι* factae exemplum retinendum esse confirmavit, etiam Hermannus omnes illas synizeses in *υ* vel *ι* factas removere conatus est. Similis autem atque prior Hermanni sententia maiore ex parte etiam Seidleri et Matthiaei erat. Posteriore deinde aetate, cum Spitznerus (de versu Graecorum heroico, maxime Homerico 1816) diligentissimam de synizesi in versu Homerico praebuisset commentationem, de synizesi inque primis de synizesi tragica comicaque plura composuit Gaisfordus in adnotationibus ad Hephaestionem II. p. 20. Nec paucas aut leviusculas de synizesi observationes sparsim suppeditavit A. Lobeckius in pathol. Graeci sermonis elementis (II.) Deinde de tragicorum poëtarum synizesis usu pluribus disseruit, quem supra iam diximus, Rumpelius: qui cum primum in commentatione inscripta: «Die Auflösung im trimeter des Euripides« (Philol. XXIV. p. 407 sqq. adnot. 8), tum in alia: «Auflösung im trimeter des Aeschylus und Sophocles« (Philol. XXV. p. 54 sqq. adn. 5) pauca de tragicorum illorum synizesis exemplis monuisset, postrema commentatione: «Zur synizesis bei den tragikern« (Philol. XXVI. p. 241 sqq.) omnia trimetrorum synizesis exempla diversa

satis bene atque accurate composuit. Atque cum in singulis saepe non qua opus erat diligentia usus esse videatur, duabus praecipue in rebus laudandus est. Primum enim, quid iudicandum esset de eis versibns, quorum in primo pede aut synizesis aut anapaestus statui posset, exquirendum esse admonuit, deinde id quod gravissimum sine dubio est observavit, certam quandam inter synizesis usum ac metrum intercedere rationem. Qua in quaestione praeter alia recte eum puto censuisse *ϑεός* vocis synizesin non admissam fuisse a tragicis nisi in prima trimetri arsi atque tertia et arsi et thesi: qua de re cum postea fusius exponi debeat, haec nunc sufficient. — Denique silentio vix praetermittendae sunt Gerthii «quaestiones de Graecae tragoediae dialectis» (Curt. Stud. I. p. 191 sqq.), cui pleraeque bonae frugis observationes debentur.

G. Hermannus (el. doctr. metr. p. 52) postquam creberrimam synizesin in litera *ε* esse ut quae omnium maxime tenuem celeremque pronuntiationem haberet adnotavit, ne a reliquis quidem vocalibus omnibus synizesin prorsus abiudicandam esse censuit. Cuius synizesis quae proposuit exempla tragica, quamvis dudum a viris doctis damnata sint, paucis perstringere hic mihi liceat pauxillum fortasse conlaturo ad hos versus sive explicandos sive emendandos. Atque *α* quidem privativum Hermanni ex sententia cum synizesi pronuntiatur in *ἀίστος* apud Aeschyl. Eumen. 565 (568) et in *ἀϊστῶσαι* saepius apud Lycophronem; neque vero dubium esse potest quin post idem Hermannus recte in textum receperit Porsoni *αἴστος* coll. Soph. Ai. 515 (*ἤστωσας*) eodemque certe modo Lycophroni omnibus locis diphthongus *αι* est restituenda, quippe qui synizesis exemplum omnino non praebeat (cf. Bachm. ad Lycophr. 71). Neque aliter res sese habet in Soph. Oed. Col. 1560, ubi Hermannus librorum *Ἀϊδωνεῦ* bis positum, quod ante per synizesin pronuntiandum censuerat ita ut «neque propria audiretur diphthongus neque rursus inpropria, sed utraque vocalis aures quodammodo

attingeret«, post in *Αἰδωνεῦ* recte correxit (v. Lobeck. Path. Gr. serm. el. II. p. 7). — Paulo vero difficilius est iudicium de synizesis exemplis in vocali *υ* factis quae Hermannus enumeravit. Quorum quod profecto gravissimum est utpote quod ter legatur in Euripidis codicibus *Ἐρινύων* trisyllabum (Iph. Taur. 931. 970. 1456[1]) cum synizesin pati inter viros doctos constaret, unus Dindorfius synizesi missa facta *Ἐρινῦν* scribendum praetulit[2]. Qui quo audacius prima fronte videtur versatus esse omnino ignotam nulloque exemplo prorsus pari firmatam formam cum praerogaret, eo minus reticenda sunt quae, quamquam synizesi non plane refragentur, complexioni vocalium *υω* faveant: attamen mitto eum locum, in quo ipsam scripturam *Ἐρινῦν* (pro *Ἐρινύων*) Dindorfius putavit servatam codice Palatino, Troad. 457, quae si comparas Or. 1389 (*ἐρινννῦν* F pro *Ἐρινύν*), Phoen. 1029 (*Ἐριννῦν* A) nullius est fidei[3]. Neque maioris est momenti quod syllabae *υων* ubi unius syllabae vice funguntur semper ante caesuram positae sunt hoc est eo loco, qui creberrime synizesin recipit; nullum enim alium trimetri locum vocabulum bacchei mensuram exaequans tenere potuit. Sed innumerum paene numerum exemplorum synizesis in vocali *ε* usurpatae praecipue Euripideorum si respicis, nescio an concedas, synizesin in *υ* factam, cuius praeter *Ἐρινύων* illud ter repetitum et Sophoclis *δυοῖν* monosyllabum summopere suspectum nullum quidem aliqua cum probabilitate afferri possit exemplum tragicum, non solum ambiguam esse, sed magis damnandam quam defendendam. De altera autem syllaba correpta (*Ἐρινύων*),

---

[1]) Quibus quod Porsonus addidit *Ἐρινύων* Phoen. 1306 cum Seidlero d. vers. dochm. p. 41 praetermittendum est quamvis Hermanno quoque (in Phoen. ed.) probatum.

[2]) Lobeckius quidem ita affert ut de synaeresi tantum cogitasse eum sumi possit, l. c. II. p. 119: ‚aut tertiam et quartam unius instar haberet, quod certissime Euripides sibi permisit in genitivo *Ἐρινύων*'.

[3]) Praeterea rectissime Matthiaeus, Gr. I. p. 182: ‚*εἰς μίαν τριῶν Ἐριννύν* (nicht *Ἐριννύων*. *Ἐριννῦν*) die poëtische, von den Tragikern vorgezogene Construction'.

quam dubitanter Matthiaeus quoque defendere conatus est, cum hodie nemo cogitet, nihil restat nisi ut synaeresin usitatam illam in substantivorum casibus in *υας* et *υες* finitis metri quadam ex necessitate etiam in *υων* syllabis occupatam fuisse sumamus [1]). Praeterea quod iam attigi synizesis in voce *δυοῖν* adhibitae exemplum Sophocleum, Oed. Reg. 640, in libris sic traditum:

δρᾶσαι δικαιοῖ δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν

non solum plane singulare est, sed totus versus quamquam codicum et Sophoclis et Suidae consensu firmatus summas movet offensiones ut propter dicendi genus hoc: *δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν*, quod nihili est, ita, ut Elmsleius recte censuit [2]), propter antepaenultimae vocis *ἀποκρίνας* mensuram adhuc satis non defensam. Quas ob causas equidem non dubito quin spretis Reisigii (*τοῖν δυοῖν κρίνας κακοῖν*) atque Elmsleii *τοῖνδ' ἀποκρίνας κακοῖν*) coniecturis Dindorfius vitium in eo latere recte cognoverit quod vox *ἀποκρίνας* explicandi causa adiecta perverse inrepserit in versum quodque inter *δικαιοῖ* et *δυοῖν* olim legeretur verbum genuinum extruserit. Neque praestantiorem facile continget indagare emendationem quam qua in integrum videtur restituisse Dindorfius poëtae verba, *θἄτερον δυοῖν κακοῖν* [3]). — Hoc igitur vocalis *υ* per synizesin absumptae exemplum cum nihili sit aestimandum, duo alia ab Hermanno prolata facile expediuntur: quorum de altero *κυάνεον* Pers. 81 ipse in Aeschyli editione rectius iudicavit, alterum autem *κυανώπιδες* Pers. 559 quod adtinet, non causa est cur illi loco, in quo strophae et antistrophae

---

[1]) secus iudicavit Weilius ad Iph. Taur. 931: ‚nous n'avons cru devoir adopter cette orthographe que dans les morceaux lyriques'. — Recte *γενῦν* quoque Dindorfius scripsisse videtur in Aesch. Sept. 122 de quo confusa eius exstat adnotatio in praef. Aesch. ed. Lips. V. p. XLIII. sq.

[2]) ‚nisi insolita secundae in *ἀποκρίνας* productio ab omni suspicione liberetur'.

[3]) cf. Heimsoeth. de diversa diversorum mendorum emendatione comm. III. indici schol. Bonn 1867/8 praemissam.

responsio etiam alioquin obliterata sit, illicita illa synizesi in Aeschylum inlata succurramus. — Literae autem ι, quam synizesin unquam passam negaverunt Porsonus ad Eur. Phoen. 1651 postque Hermannum Elmsleius, exempla in synizesi posita iamdudum spuria esse ne uno quidem excepto intellectum est. Quorum ex numero Aeschyleos versus missos facio: quos cum corruptos esse inter omnes iam conveniat, qua onerati sunt coniecturarum quasi farragine, equidem despero, quidquam novi probabiliusque dicti me esse prolaturum. De Euripide autem et Sophocle nonnulla adpono. Atque Euripidis quidem trimetrorum unum quoniam aptissime existumo correctum a Matthiaeo, Jon. 285, *Φοῖβος* pro *Πύθιος* scribente [1]), statim accedo ad alterum, Herc. fur. 1304, qui si non facilis est emendatu, tamen cuiusmodi vitio laboret, in aprico est. Procul enim dubio *Ζηνός* vox non est nisi perperam repetita e versu proximo superiore hacque inlata quae olim exsistebat vocabuli *Ὄλυμπος* forma mutata in genetivum *Ὀλυμπίου.* Quodsi verum est, triplex iam emendandi via patet sive potius explendi verba poëtae. Aut enim receptis Heathii et Dobraei coniecturis *Ὀλύμπου — ποδός* [2]) post vocem *Ὀλύμπου* suppleri necesse est sive quod Dobraeus voluit, *δώματ'* sive similem vocem aliam, quales praesto sunt *δάπεδον, θάλαμον;* aut *Ὀλυμπίου* ex *Ὄλυμπον* ortum statuas, *Ζηνός* adiectivum illi substantivo adpositum explosisse (in fine servata Dobr. coni. *ποδός*); aut denique cum Nauckio faciendum qui Brodaeum secutus versum totum sic exhibuit: *κρούουσ' Ὀλύμπου* [*δῖον*] *ἀρβύλῃ πέδον.* Harum corrigendi rationum ut paulo mihi quidem probabiliorem quam ceteras amplector illam, quam primo loco posui. Diverbiorum prae-

---

[1]) *Πύθιος* corruptum praeterquam quod *Πύθιος* et *Πυθίαι ἀστραπαί* aures quodammodo offendunt vel illud arguit, quod per totam Jonem nusquam Apollo tali modo significatur. Certe autem Matthiaei conectura praeferenda est artificiosis Hermanni (*Πυθώ τ'*) et Bahami (*Πυθών*) conaminibus. ceterum cf. C. Fr. Mueller de ped. sol. in dial. sen. p. 142.

[2]) in *ἀρβύλῃ ποδός* equidem non haesito.

terea est tertius locus, Phoen. 1637, nuperrime a Kuehnero defensus (»was mit Unrecht geändert worden ist«): *καὶ παρθενεύει τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν.* Sic deterrimus fere codex Flor. *C* a m. I., a m. II. *ἰοῦσαν*, *ἰοῦσαν* praeterea B, reliqui *εἰςιοῦσαν.* Qua de scripturae diversitate quomodo iudicandum sit nullam puto exstare dubitationem; certe enim quod prima Florentini manus praebet, *ἐπιοῦσαν*, omnino nullius est momenti, immo sive e coniectura sive per errorem librarii ortum sive denique interpretis a manu profectum; de duobus autem illis *ἰοῦσαν* et *εἰςιοῦσαν* utrum magis genuinum censeam electurus, *εἰςιοῦσαν* in plerisque optimae notae codicibus traditum, quod neque metro neque sensui satisfaciat, non dubito praeponere. De *ἰοῦσαν* autem a Porsono et Hermanno recepto rectissime iudicavit Hartungius ad h. l. negans similem in eo inesse significatum atque in *ἐπιοῦσαν* (cf. Ellendt. lex. Soph. I. p. 508). Proficiscendum igitur ab *εἰςιοῦσαν*: quod corruptum esse facile est intellegere, corrigere difficilimum: Geelii quidem *τελοῦσαν* equidem meum non facio, sed in eo fortasse verum vidit, quod proximi diei notionem prorsus abiecit. At cum umbra pugnasse videbor; quippe illos quos tamquam tragici tractavi versus, revera non sunt tragici. Neque enim ipse dubito, quin iusto iure versum 1637 et 1638 ab Euripide alienos esse statuerint Dindorfius et Hartungius, quorum opinioni etiam Nauckius patrocinatur. — Canticorum Euripidis in tuenda vocalis *ι* synizesi duo loci adferri solebant, quorum alter dochmiacus, ut videtur, versus est Phoen. 184: *κεραύνιον τε φῶς αἰθαλόεν σύ τοι κτλ.*: in quo cum *κεραύνιον* trisyllabum esse olim statuisset Hermannus (el. doctr. metr. p. 54) postea aut iambicum dimetrum brachycatalecticum ab Euripide positum esse sumpsit aut, quo dochmius evaderet, *κεραυνοῦ* corrigendum. Versum iambicum Dindorfius quoque tutatur; Nauckius, integrum dochmium ut restitueret, lenissima sane usus mutatione *κεραυνῶν* scripsit. Verum dochmius si genuinus est, quod mihi quidem probabilius videtur, praeoptaverim Hermanni *κεραυνοῦ*, praesertim cum haec violentior vix sit mutatio quam cuius Nauckius est

auctor [1]). — Multo autem maiores difficultates alter praebet locus, Bacch. 998, versus et ipse dochmiacus, quem frustra adhuc tentarunt critici. Nam ut taceam de *ὄργια* disyllabo, quod sensui quidem omnino aptum est, priora *τὰ Βακχί' ὄργια* cum posterioribus *ματρός τε σᾶς* nullo modo concinunt, ita ut aut in his aut in illis vitium latere necesse sit; quod qui tollere studebant, hi voculam *τά* commutarunt (Scaliger *σά*) illi *σᾶς* (Port. *σφᾶς*, Reiskius *ματρὸς θ' ἑᾶς*, Burgesius *ματρός τε Γᾶς*). Verum quod ad sensum universum adtinet, tantum abest ut Hermannum illa voce *μήτηρ* recte intellexisse credam Penthei matrem Agauen significari, ut persuasum habeam, et pro huius loci indole et secundum similes Baccharum locos de sola Rhea hic apte posse cogitari; unde elucet, *σᾶς* illud aut, quod ego tamquam audacius reicio, in *Ῥέας* monosyllabum (coll. Soph. Oed. Col. 1072) aut in *θεᾶς* mutandum esse (cf. Bacch. 131) [2]). Sensuique cum tali modo satisfiat, restat crux illa *ὄργια* disyllabum, ab Elmsleio primo in dubitationem vocatum. Quod duplici modo in contextum inrepsisse potest: aut enim simile substantivum quoddam, cui explicandi causa adiectum erat, extrusit — verum tale vocabulum, quod insuper accuratae antistrophicorum responsioni non repugnet, facili negotio vix invenies; neque enim Elmsleii *ἔργα* magnam prae se fert probabilitatem — aut eadem res, quae nunc voce *ὄργια* significatur, olim aliter nullo substantivo adhibito expressa erat [3]). Atque prius si statuis, emendatio certe est difficillima, sin posterius, nescio an eodem modo quo *τὰ Δήμητρος, τὰ Ἀφροδίτης* etiam *τὰ Βακχίου* pro sacris Dionysiacis dicere licuerit; ipsaque haec dicendi ratio eo magis

---

[1]) ceterum *κεραύνιον φῶς, πῦρ* sim. usitatiora sunt multo quam *κεραυνοῦ, κεραυνῶν φῶς* aliaque eiusmodi.

[2]) Hermanni ad Androm. 836 opinio: „neque hoc loco elegans contractum in unam syllabam post brevem vocalem *θεῶν*" recte quidem sese habet nec tamen quadrat in posteriores Euripidis fabulas.

[3]) neque cogitari nequit, *ὀργᾷ* prioris versus quodammodo causam fuisse vitiosi *ὄργια*.

nostro in loco mihi placeret propter generalem quandam, quam praebet, speciem atque indolem. Propono igitur tale quid:

ὃς ἀδίκᾳ γνώμᾳ παρανόμῳ τ᾽ ὀργᾷ
περὶ τὰ Βακχίου τε ματρός τε θεᾶς
μανεῖσα κτλ. . . στέλλεται.

Sed doctiores excogitent meliora. — Sophoclis unum tantum synizesis in ι factae exemplum in libris fertur defensum illud olim ab Hermanno post correctum, Oed. Col. 1466:

ἔπτηξα θυμόν· οὐρανία γὰρ ἀστραπὴ φλέγει πάλιν.

Qui cum vocem οὐρανία ita exhibeat, ut cretici mensuram aequet necesse sit, inter vitiosos dudum est relegatus; vitii autem tollendi conatus diversos enumerare hic longum est, de quibus praeter novissimas F. G. Schmidtii (ὀρμένα) et Heimsoethii (αἰόλη) coniecturas uberius rettulit Meinekius ad v. Plus autem quam ceteras emendandi rationes equidem amplector, quod mihi ipsi quoque olim in mentem venerat, a Meinekio prolatum deinde refutatum αἰθρία, quamquam nimis illud commendare vix ausim.

Sed haec hactenus. Aeschyleos versus, in quibus hic ille synizesin plerumque in ι factam indagare sibi visus est, satius mihi visum esse in medio nunc relinquere iam dixi; certe si singillatim enumerarem, nil praestarem nisi sat magnum numerum versuum procul dubio corruptorum [1]). Quid quod haud forte fortuna factum videtur quod ex omnibus huius modi exemplis, quae quidem Aeschylea sunt, unum tantum in trimetris exstat: nimirum quo magis corruptae atque cuiusvis generis vitiis inquinatae partes melicae hodie leguntur in codicibus, eo maiorem praebent campum cuiuslibet licentiae ac libidinis. Talia autem qui respuant, iis in eo persistendum erit, ut synizesis usu tragico angustioribus finibus circumscripto ne ullum quidem eius certum inveniri exemplum statuant nisi in una vocali ε.

---

[1]) alia R. Engeri est opinio, de Aeschyl. antistr. resp. p. 50. 64: ‚ceterum dubitari potest, an ἐπιποδίας per synizesin liceat efferre, quae latius patere videtur quam ab quibusdam conceditur' cf. p. 87.

Qualis synizesis quae fuerit origo, fusius exponere huius commentationis esse nequit; immo satis habeo, meam ipsius de hac re opinionem brevissime significasse. Unum igitur hoc probabile puto synizesin illa aetate exortam esse, qua neque pleraeque vocabulorum formae eum in modum stabilitae erant et quasi obduruerant, ut poëtis non liceret potissimum in terminationibus vel contractis uti syllabis vel disiunctis, neque lingua universa tantopere adaptata fuit metro, ut non vim quodammodo illi afferri a poëtis necesse fuerit. Cuius aetatis poëtae qualem suo iure sibi adsumpsere libertatem necessitate quadem coacti profectam illam insuper fortasse a volgari sermone, eam posteriores retinuerunt tamquam licentiam poësis propriam. Haec autem commutatio unde et quando inceperit, in medio nunc relinquere possum. Atticos quidem poëtas, praesertim Sophoclem atque Euripidem, ut supra demonstrasse mihi videor, synizesin non iam ex volgari loquendi consuetudine recepisse constat, sed ut poëticam licentiam sive cultum quendam poëticum adrogasse. Quocum convenit quod [1]) quorumdam vocabulorum, velut *χρύσεος, χάλκεος,* formas poëtae tragici, si quidem ulla est in his codicum auctoritas, ubi in melicis partibus disyllabas eas pronuntiari necesse est, synizesin pati sinunt, in diverbiis autem pro numerorum commoditate aut contractas adhibent aut distractas; unde sua sponte elucet, synizesin illis non iam ipsis fere insciis excidisse, verum consulto tunc occupatam tunc omissam esse. Eadem, quam modo tetigi, consuetudine fortasse etiam hoc evincitur, syllabas per synizesin coartatas alio quodam modo fuisse pronuntiatas ac per synaeresin contractas; quam rem disertis verbis ab Elia de metr. p. 84 et a Tricha p. 73 (*εἰ δὲ συνίζησις ἐν τῷ καίνειν ὁμοῦ ὑπὲρ θεραπείας τοῦ μέτρου τὰς δύο συλλαβὰς κατὰ μίαν προσφορὰν μόνον συναιροῦμεν*) notatam cum dicat Spitznerus l. c. p. 179 [2]), et

---

[1]) cf. Gerth. l. c. p. 231.

[2]) cuius haec sunt verba: ‚neque ullam vocalem expellit (synizesis) neque eas contrahendo immutat, vid. Elias de metr. p. 814.'

e grammaticorum verbis nimium ille elicuisse videtur neque, si recte elicuisset, illorum commentis multum tribuerem. Maiore fortasse iure appellare hic licet Herodiani canonem (cf. Choerob. Dict. 123, 7. Lentz II. p. 347, 23): *οὐδέποτε ἡ υι δίφθογγος ἐν τέλει λέξεως εὑρίσκεται οἷον μυῖα, ἅρπυια, υἱός· ἐν γὰρ τῷ ‚σύμβολον ἀμφὶ νέκυϊ κατατεθνειῶτι μάχεσθαι' (Π. 565) οὐκ ἔστιν ἐν διφθόγγῳ τὸ υ καὶ τὸ ι, ἀλλ' ἐν τῷ μέτρῳ κατὰ συνίζησιν μετροῦνται, τουτέστιν αἱ δύο συλλαβαὶ εἰς μίαν συλλαβὴν ἤγουν τὸ υ καὶ τὸ ι ὥσπερ ἐν τῷ ‚χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ' (Α. 15) τὸ ε καὶ ἡ ῳ δίφθογγος εἰς μίαν συλλαβὴν μετροῦνται οἷον χρυσῷ'.* Quaerentibus autem nobis quali modo potissimum synizesis duarum syllabarum pronuntiata esse videatur, si coniecturae locus datur, proxime eam ad elisionem accessisse coniecerim; quamque elisionis explicationem optimam H. L. Ahrensio debemus de crasi et aph. p. 2: «sequitur elisione, quam dicunt, vocalem non prorsus deleri, sed deminui, ita ut exigua quaedam eius pars relinquatur, quae neque accentum ferre valeat neque morae vices sustinere, ut in rhythmo pro nihilo habenda sit«, eam quodammodo etiam in synizesin vel in priorem quae illa afficiuntur syllabarum cadere statuerim. Verum metri aliquam in synizesi adhibenda habitam esse rationem luculentissime Rumpelius iam demonstravit.

1.

Iam vero generalibus his quaestionibus derelictis antiquius habeo, singulas tragicorum poëtarum synizeses accurate enumerare, priusquam summatim de eorum usu disseratur. Qua in re ita mihi versandum erit, ut seorsim proferam diverbiorum exempla, sive in trimetris sive in tetrametris trochaicis leguntur, atque systematum anapaesticorum et canticorum, quippe quorum eandem prorsus condicionem non esse

in propatulo sit [1]). Atque Aeschyli quidem certa synizesis exempla in trimetris sat pauca inveniuntur. Sunt vero haec. Multo quidem creberrima synizesis genetivi πόλεως est, quae exstat in his locis: Sept. 2 (VI) [2]), 57 (VI), 274 (IV), 539 (II), 572 (IV), 1006 (VI), Suppl. 248 (V), 388 (II), 619 (V προπόλεως Med. πρὸ πόλεως ceteri, correxit Hermannus πρὸς πόλεως), 942 (V), Agam. 1412 (IV), 1586 (IV), Eumen 617 (V), 701 (IV), 704 (IV). Quibus versibus non duxi intermiscendum Choëph. 289 (πόλεως VI), quippe qui inter additamenta interpolatorum relegandus sit: plane enim persuasit mihi Dindorfius, Choeph. 274—296 sine ulla dubitatione ex fabulae contextu removendes esse (cf. praef. Aesch. ed. Lips. V. p. XCIII.) Contra quos idem statuit non ab ipso Aeschylo profectos esse Eumen. 686—702 (l. c. p. CII. sq.), de eis in universum quidem Heimsoethii sententiae adstipulor (de scaena in parte Eumenidum Aeschyli Atheniensi non mutata, ind. Bonn. 1870—71), etsi omnia in illa parte iam sana esse vix praestiterim. Deinde genuina videtur etiam synizesis in voce Ἀμφιάρεω semel adhibita, Sept. 569 (Med. ἀμφιάρεων lit. ν erasa). Neque τειχέων disyllabum, Suppl. 475 (3) [3]) τειχῶν scribi maluerim quam per synizesin efferi (v. infra). Secus iudico de πορφυρέᾳ tradito Pers. 317 ita ut in quinti pedis arsin cadat syllabarum εα synizesis: quode quamquam aliter censuit Hermannus [4]), equidem prae-

---

[1]) in universum quidem non exhibebo nisi ea synizesis exempla, quae aut tradita sunt aut probabili emendatione restituta; contra alias coniecturas non enarrabo nisi refutaturus.

[2]) hi numeri, in qua trimetri arsi synizesis legatur, indicant.

[3]) numeri arabici theses significant.

[4]) „sed videntur tragici a forma πορφυροῦς, ut vulgaris sermonis propria, abstinuisse, ideoque contractionem praetulisse eam in qua leviter audiretur ε, ita ut non efficeret syllabam. Non obstant versus ex Stheneboea Euripidis ab Athenaeo p. 421. F. allati, ubi βίος δὲ πορφυροῦς θαλάσσιος valde torsit criticos. Scribendum est enim βίος δὲ πορφυρεὺς θαλάσσιος' etc.

fero Porsoni coniecturam πορφυρᾷ. Nimirum cum praeter hunc Aeschyli locum corrupto illo Stheneboeae Euripideae versu excepto omnino non appareant in tragicorum diverbiis vocis πορφύρεος formae, neque εα syllabas unquam per synizesin copulavit Aeschylus, neque causa, cur de hoc aliter statuamus quam de χρύσεος, χάλκεος sim. (cf. Gerth. l. c. p. 231). Dein νεοχμόν, quod inter synizesis exempla quamvis dubitanter attulit Rumpelius, apud neminem usquam tragicorum synizesin pati videtur (Pers. 693). Ἑάλωκεν autem Agam. 30 ignoro quomodo omnino cogitare potuerit ille synizesi affici, quamquam ipse potius ἥλωκεν fortasse scribendum vel anapaestum ἑάλω-κεν retinendum esse concessit: quorum ego nescio an ἥλωκεν praeferam (cf. Piers. ad Moer. p. 178). Aliae praeterea, quae restant, Aeschyleae in trimetris synizeses omnes ad nonnullas vocis θεός formas pertinent, nec tamen omnes extra dubitationem positae esse videntur. En hae sunt: θεοῖσιν Sept. 275 (III), θεῶν Pers. 404 (III), θεοῖσι Choëph. 148 (I). Quorum versuum primum, Sept. 275, interpolatoris esse rectissime Ritschelius (opusc. I. p. 365 sq.: de Aeschyli in Septem adversus Thebas versibus 254—261 disputatio) et Dindorfius (praef. p LVII sq.) iudicarunt. Neque aliam esse rem in tertio quem adscripsi loco, Choëph. 148. accuratum eius examen, opinor, docebit. Nam ut taceam, haud inconsulto reliquam Electrae precationem talem esse conformatam (v. 130--144. ante verba autem πῶς ἀνάξομεν lacunam recte indicatam puto ab Hermanno), quae omnino respondeat iis, quae chorus ante suaserat, precibus, non solum ipsius precationis concinnitas duobus illis versibus in fine positis:

ἡμῖν δὲ πομπὸς ἴσθι τῶν ἐσθλῶν ἄνω
σὺν θεοῖσι καὶ γῇ καὶ δίκῃ νικηφόρῳ

haud commode tolli mihi videtur (130: ἐμέ φίλον τ' Ὀρέστην — 130: Ὀρέστην — 140: αὐτῇ τέ μοι — 142: ἡμῖν μὲν — τοῖς δ' ἐναντίοις — 147: ἡμῖν δέ), sed etiam ipsa haec verba quodammodo interpolatorem produnt (magnifica illa σὺν δίκῃ νικηφόρῳ interpolatoris ipsius sint an Euripidis, Phoen. 78, alii diiudi-

cent). Quo accedit quod verba ἡμῖν δὲ κτλ. necesse est praecessisse tale quale κείνοις v. 146; neque vero equidem dubito quin suo iure Dindorfius et v. 145 et 146 notaverit conciliatis inter se Franckeni (Misc. philol. Bat. 1854. p. 87) et Bothii coniecturis. Versibus igitur 145—148 probabile est antiquum defectum, qui post 144 exstitit (unius post 144 versus defectum indicavit Weilius) ab interpolatore, ut clausulam adderet, ex ipsius ingenio completum esse. Quare cum θεοῖσι disyllabum hoc Aeschylo non sit tribuendum, ne vocis θεούς quidem synizesis, coniectura inlata in Sept. 441 (I), genuina esse potest. Locum enim sic traditum in Mediceo 440 sqq.:

Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ δρᾶν παρεσκευασμένος
θεοὺς ἀτίζων κἀπογυμνάζων στόμα
χαρᾷ ματαίᾳ, θνητὸς ὢν ἐς οὐρανὸν
πέμπει γεγωνᾶ (scr. *γεγωνὰ*) *Ζηνὶ κυμαίνοντ' ἔπη*

quo maiore iure Hermannus non recte traditum esse censuit (cf. Ritschel. opusc. I. p. 311 sqq.: Parallelismus der sieben Redepaare in Aesch. Sieb. gegen Theben), eo minus vero videtur simile quod ipse coniecit 441:

ἃ θεοὺς ἀτίζων κτλ.

(»monosyllabi θεός exempla congessit Porsonus ad Eur. Or. v. 393«), quod idonee refutatum est a Ritschelio l. c. Multo autem audacius Hermanno, sed nequaquam probabilius, qui et ipse θεούς monosyllabum genuinum putavit, Dindorfius scripsit: *Καπανεὺς ἀπειλεῖ πᾶν παρεσκευασμένος δρᾶν, θεοὺς ἀτίζ. κτλ.*[1]) Contra splendida profecto est Ritschelii coniectura *Καπανεὺς δὲ δεινὰ δρᾶν παρεσκευασμένος θεοὺς ἀτίζων κτλ.* neque, quae simplicior sit aptioremque praebeat sensum, equidem cognitam habeo. — Itaque restat solum unum θεῶν monosyllabum, Pers. 404, de quo versu nemo adhuc dubitationes movit neque ullo modo dubitari poterit.

---

[1]) unde erat cum mihi in mentem veniret: *Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖν πᾶν παρεσκευασμένος, θεοὺς ἀτίζ. κτλ.* (*ΑΠΕΙΛΕΙΝΠΑΝ* pro *ΑΠΕΙΛΕΙΔΡΑΝ*).

Paucis igitur in illis quos attuli dialogorum trimetris cum certo liceat affirmare synizesin in πόλεως, Ἀμφιάρεω, τειχέων, θεῶν factam, alios locos adicit Rumpelius, ubi synizesin in prima arsi adhibitam trimetris ab anapaesto incipientibus praeferri vult: de quibus infra iudicium fiet. Neque vero plura aut aliud genus synizesis exempla quam trimetri tetrametri Aeschyli trochaici suppeditant, praesertim cum duabus tantum in tragoediis adhibiti sint; quarum Agam. 1345 sqq. nullam praebent synizesin, Pers. 155 sqq. monosyllabum θεοῦ bis adhibitum in eiusdem versus (157) arsi prima et quinta.[1]) Quibus adponere licebit, quae in legitimis systematis Aeschyli anapaesticis leguntur, synizesis exempla et ipsa admodum pauca. Atque omittendum quidem hic erit πόλεως disyllabum, quod Sept. 826 Hermannus proposuit; Mediceus enim codex cum ibi praebeat πόλεως ἀσινεῖ σωτῆρι, quo periculosius est, tragicos Graecos transponendo emendare, eo debilius certe fundamentum coniecturae suae Hermannus paravit, cum scholiastae adnotatione: ἀσινεῖ, ἀβλαβεῖ· σωτηρίας τοῦτο γὰρ ἐπίθετον ita niteretur, ut tamquam genuinam scripturam σωτῆρι πόλεως ἀσινείᾳ inde elicere sibi videretur. Comparandus potius est hic locus alteri eiusdem fabulae, v. 225; quique illi τύχης σωτῆρος recte restitutum censet a Ritschelio (opusc. I. p. 741), ille fortasse etiam in v. 826 Dindorfii coniecturam amplectetur σωτῆρι τύχῃ versum non tam corrigentis quam explentis. Genuina autem synizesis exstat in voce βασιλέως bis tamquam trisyllaba adhibita Pers. 24, 151; neque dubia videtur res in voce στηθέων disyllaba Sept. 865, de qua infra plura. Deinde synizesin vocis θεός libri exhibent in Prometh. v. 156 hoc modo tradito:

ὡς μήποτε θεὸς μήτε τις ανος (sic. I. m. Med. II. ἄλλος correxit); sustulit autem synizesin iam Turnebus μήτε θεός scribens, cui adstipulatur in θεός monosyllabo damnando

---

[1]) ceterum adnotandum est synizesin in initio versus positam excepto Euripidis versu Suppl. 926 in trimetris tetrametrisque tragicorum nullo alio loco apparere.

Hermannus.[1]) Attamen neque Hermanni coniectura: *ὡς μήποτέ τις μήτε θεός τις* neque Elmsleii ab illo refutati: *ὡς μήποτε θεὸς μηδεὶς ἄλλος* quidquam proficitur; imo optime unus Dindorfius me quidem iudice sensui consuluit, haec qui restitueret: *ὡς μήτε θεῶν μήτε τις ἀνδρῶν* (*ανος* Med. = *ἄνθρωπος*). Verum quapropter pro *θεός* tradito hic praerogaverit *θεῶν* iusta non exstat causa, saepe enim tali modo variari: *μήτε θεὸς μήτε τις ἀνδρῶν* a poëtis praecipue tragicis, satis multa[2]) comprobant exempla.[3]) Totus igitur versus redintegrandus erit hunc in modum

ὡς μήτε θεὸς μήτε τις ἀνδρῶν.

Restat unum, quod genuinum videtur, anapaestorum exemplum synizesis in verbo *ἐκπνέων* admissae, Agam. 1493, de quo haec adnotat Lobeckius (path. Graeci serm. el. II. p. 94): «de participio *ἐκπνέων* Aesch. Ag. 1493 (1461 Herm.) idem (Dindorf.) dubitat, utrum synecphonesi factum sit bisyllabum an crasi *ἐκπνῶν* ut *ἐὰν δῇ*, *ἐὰν κῆται*; sed hos scopulos enavigavit Hermannus *ἐκπνεύσας* scribens». Verum *ἐκπνεύσας* illud nescio ubi propositum ab Hermanno, ut taceam, idem *ἐκπνέων* etiam infra, v. 1517 traditum esse, probabilitate caret praesertim cum paroemiacum perperam removeat: neque, quamquam singularis haec est synizesis *ἐκπνέων*, reliquis synizesis in *εω* factae exemplis non puto eum in modum illam defendi, ut vix adducar, contractam formam *ἐκπνῶν* Aeschylo esse tribuendam. Profecto minus verisimilis quam talis synizesis mihi vietur, quam Heimsoethius proposuit Pers. 13, vocis *κενεόν*: quem locum quia vix iuvabit accuratius pertractare, hoc unum pro certo affirmare licebit, vocis

---

[1]) cuius quidem argumentum nullo exemplo contrario refellitur: „nam neque *θεός* synecphonesin admittit praegressis duabus brevibus syllabis" etc.

[2]) cf. Aesch. Eum. 70.

[3]) postquam haec scripsi, eandem sententiam iam prolatam video a N. Wecklein. Aesch. Prometh. p. 133.

κενεόν notio si a veritate proxime absit, utique communem formam *κενόν* esse praeferendam.

Trimetrorum, tetrametrorum, anapaestorum legitimorum quoniam proposuimus synizeses Aeschyleas, nunc ad cantica eius accedendum erit: de vocibus autem *τειχέων* et *στηθέων* quamquam accuratius erit disserendum, hanc quaestionem tum demum suscipiendam puto, postquam similia, quae in melicis leguntur, synizesis exempla composuerim. In melicis vero partibus quae exstant synizeses, eorum numerus paullo sane amplior est quam quas adhuc adtulimus. Atque e creberrimis hic quoque synizesis vocis *πόλεως* est, quippe quae quater adpareat[1]: et cum de Sept. 418, 761, Suppl. 904 dubitatio existere nequeat, ambiguus restat Sept. 165, cuius emendatio certa mihi in promptu non est[2]. Neque magis certa pluralis *πόλεων* synizesis est ab Heimsoethio (Nachtr. p. 189) et Weilio inlata in Pers. 107 eo ut in antistropha scriberent *λεωπόροις*, et ipsum per synizesin efferendum: offendo equidem praecipue in *λεωπόροις* trisyllabo, quod *λεωφόρου* Rhes. 881 conlato satis defendi mihi vix videtur. — Genuina autem exstat synizesis syllabarum finalium vocis *ἐπάλξεων* Sept. 158. — Deinde habemus genetivos tertiae declinationis in *έων* exeuntes hos per synizesin pronuntiandos: *τειχέων* Sept. 90 (quod falso loco adtulit Gerth. l. c. p. 235. ceterum neque quod Dindorfius exposuit in praef. Aesch. ed. Lips. V. p. XXXV. mihi persuasit neque suas alii mutationes: *ὑπὲρ τειχέων* dummodo arte coniungas cum praecedenti *βοᾷ* sensui omnino accomodata videntur), *βρετέων* Sept. 96 (falso loco ut *στεφέων* quod sequitur a Gerthio memoratum), *στεφέων* Sept. 101, *σακέων* Sept. 160 (nil autem adtinet quid iudices de Hesychii glossa sic tradita: *προμυχθίζει χαλκοδεσμῶν*

---

[1]) omitto eos locos, quibus librorum pro scriptura *πόλεως* iamdudum *πόλεος* forma restituta est.

[2]) sine dubio reiciendum est Hermannus quod scripsit: *ὑπὲρ πόλεως ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου*: quippe quod *ὑπὲρ πόλεως* et *ἑπτάπ. ἕδ.* prorsus eodem spectant.

ὁπλῶν ἀντὶ τοῦ προςχωρίου, de qua cf. Dindorf. in praef. Aesch. ed. Lips. V. p. LIV.; certe enim Hesychii χαλκοδεσμῶν ὁπλῶν potius ex Aeschyli codicibus corrigenda sunt quam ex Hesychio Aeschylus), φαρέων Sept. 329 (quod perperam removit Dindorfius, cum antistrophae πυρφορεῖ καὶ haud probabiliter tribueret), νεικέων Agam. 151, μελέων Eumen. 265 (omis. Gerth.). De versu autem Suppl. 551, in quo dubium est, utrum Medicei scriptura (ὁρῶν a. m. I. ὅρων m. II.) potius cum Hermanno (ὅρων) corrigenda sit an Dindorfii praestet ὀρῶν, accurate ac distincte tum licebit iudicare, cum qualis cum in universum apud Atticos tum apud poëtas trajicos illorum genetivorum condicio fuerit, perpenderimus. Praeterea etiam tum demum de reliquis illis genetivis et melicorum et diverbiorum iam adlatis certum fiet iudicium. Neque vero ita Suppl. versui nimium lucis adferri poterit ut, ὅρους Κιλίκων an ὄρη Κιλίκων potius dicere voluerit Aeschylus, discernere studeamus: quae res etiamsi ipse ὄρη praerogem, magis dubia et ambigua nescio an sit quam quae omnino possit decerni. Hermanni autem talis est adnotatio: «scripsi ὅρων ex margine codicis E. Nam in melicis tragici non ὀρῶν sed ὀρέων dicunt»; similiter Ellendtius in praef. lex. Soph. II. p. X. edicit, ut tertiae declinationis nomina contracta scribantur in diverbiis, siquidem contractione afficiantur; εα, εων in anapaestis et melicis retineri cum codices inbeant, nihil obstare. Cuius similem Gerthius defendit sententiam Aeschyli et Sophoclis exemplis plerisque adpositis: quamquam hic non prorsus sibi constitit, quippe qui etiam diverbiorum versibus (Suppl. 475, Ai. 1274) syllabarum εων synizesin tribueret, nullum autem contractionis in diverbiis factae exemplum Aeschyleum aut Sophocleum afferret. Recte autem Gerthius hoc quidem adnotat, genetivi terminationem εων disyllabam, quae procul dubio etiam apud Atticos olim exstiterit, pauca vestigia omnibus temporibus reliquisse; certum enim huius rei documentum, cum codicibus praecipue pedestris sermonis scriptorum nimium auctoritatis non possit adrogari, Herodiani fragmentum a Piersono ad Moer. editum praebet, in quo haec

exstant: ἀνθέων γραπτέον καὶ μὴ ἀνθῶν, ὡς γενῶν καὶ βελῶν, ἵνα μὴ συνεμπέσῃ τῷ ἀνθ' ὧν ἔγραψας καὶ ἀνθ' ὧν ἔδωκας [1]), quibus similia Suidas s. ἀνθέων tradidit, insuper addens: οὕτως δὲ καὶ βελέων καὶ ὀρέων καὶ ἕτερα πλείονα Ξενοφῶν διαιρεῖ. Iam ex his apparere videtur, de illis formis non prorsus convenisse inter omnes scriptores neque certam quandam earum legem exstitisse; quamquam, qui sincerus sui temporis dialecti Atticae testis iure habetur, Aristophanes, quantum quidem codices tradunt, ea utitur ratione, ut plerumque adhibeat formas contractas, in comoediae autem partibus gravitate quadam dicendi insignibus admittat distractas [2]). Atque similis quaedam lex etiam in tragoediis obtinuisse videtur. Nimirum, qui in melicis leguntur, istius modi genetivos, sive εων terminatio bisyllaba remanet sive una syllaba comprehendenda est in pronuntiando, fere semper optimi quidem codices plene scriptos exhibent; quae exempla e re erit accuratius hic componere. Itaque plenam utraque syllaba et scripturam et mensuram retinet in his canticorum locis, Aeschylis: ἀλγέων Sept. 368, (ἀχέων Sept. 973: locus aperte corruptus; ἄχεα δοιά Herm.), ἀχθέων Sept. 948 (Med. ἀχέων; corr. Herm.), λεχέων Prom. 895, (λεχέων Sept. 292 corr. Lachm.), μελέων Pers. 991, νεικέων Sept. 941, στηθέων Sept. 563, — Sophoclis: ἀλγέων Phil. 827 (ἄλγεος Herm.), (ἀχέων Electr. 852: at quod Med. a. I. m. exhibet ἀχαίων potius cum Hermanno et Nauckio [αἰῶνι] corrigendum videtur, quam deleto πολλῶν suppletoque αἰῶνι tenendum cum Dindorfio), βελέων Ai. 1213, Phil. 1151, 1205, ἐπέων Antig. 1134, ἐτέων Ai. 1185, λεχέων Trach. 515, ὀρέων Oed. R. 1106, Antig. 1131. Denique Euripidis locos multo plures numero supersedere potero singillatim enumerare; immo nunc satis habeo adnotasse, cum apud illum in melicis haec inveniantur vocabula: ἀνθέων,

---

[1]) cf. Pierson. ad Moer. p. 456. Koen. ad Greg. Cor. p. 380. Schaefer.

[2]) ἀχέων Ran. 1531. βελέων Vesp. 615. ἐπέων Av. 918. 972. μελέων Ach. 1150. Av. 744. 749. 1374. ὀρέων Nub. 279 etc.

ἀλγέων, ἀχέων, λεχέων, μελέων, νεφέων, ὀρέων, παθέων, στεφέων τειχέων, τεκέων, τευχέων, φαρέων, ubique in omnibus paene codicibus plena scripta, talia, quae *έων* syllabas in metro coniunctas exhibeant, vix decimam omnium exemplorum efficere partem. Aeschyleos autem melicorum versus, in quibus *έων* syllabas pro una metrum docet adhibitas, supra iam posui; accedunt Sophoclis hice: Electr. 159 *ἀχέων* (nisi, quod verisimilius videtur, versus corruptus est), *ἐγχέων* Oed. Col. 699, (Antig. 975, quem versum huc rettulit Gerthius, cum verba in libris tradita *ἀραχθὲν ἐγχέων* corrupta esse in propatulo sit, veram existumo Lachmanni emendationem *ἀραχθέντων;* neque enim Hermanni *ἄτερθ' ἐγχέων* mihi valde arridet neque, id quod Nauckius mavult, pro *τυφλωθὲν* v. 973 Wunderi *ἀραχθὲν* restituerim et v. 975 *τυφλωθέντων;* immo illi versui potius *τυπωθὲν* vel simile quid reddendum est), *ἑλκέων* Phil. 697, *νεικέων* Ai. 718, *πελαγέων* Ai. 703, (Ant. 966 autem egregia Wieseleri coniectura *σπιλάδων* [pro *πελαγέων*] nulli dubitationi obnoxia est). Anapaesticorum vero systematum, quae certe propius ad trimetros accedunt quam quae cum melicis miscere liceat, haec cognovi exempla, non contracta: *ἀχέων* Aesch. Suppl. 14 (Med. *ἀχαίων* sed *ε* supra adscript.), Agam. 1558 (neque enim opus est correctione velut Hermanni *νεκρῶν*), *λεχέων* Agam. 51, — *λεχέων* Soph. Ant. 630 (verum recte puto verba *ἀπάτας λεχέων* ut spuria notata a Nauckio), *ξιφέων* Ant. 820, — *ἀχέων* Eurip. Hec. 106, Med. 358, *λεχέων* Androm. 498, *μελέων* Hipp. 199, Troad. 118, *ὀρέων* frgm. 740, 4, *παθέων* Hec. 104; contracta per synizesin haec: *στηθέων* Aesch. Sept. 865, — *νεικέων* Soph. Ant. 111 [1]), — *τειχέων* Eurip. Iph. Aul. 15 (quamquam totum fabulae exordium anapaesticum non credo Euripideum esse). — Quae melicorum anapaestorumque exempla quicunque contemplatus erit, ad unum omnia eandem sequi legem facile cognoscet;

[1]) consulto omisi Soph. frgm. 463, ubi pro tradito *τυχῶν* Dindorfius *τειχέων*: verum propius fere abest a *τυχῶν* Nauckii *τοίχων*.

ubicunque enim genetivi substantivorum tertiae declinationis in *έων* terminati exstant, sive duas sive unam syllabum efficit terminatio *έων*, semper plene scriptam eam codicum consensus testatur. Qua in re qui libris diffidit, illi fortasse persuadebitur, si, quae diverbiorum in iisdem sit ratio, adparuerit; atque tali quidem modo eorum exempla iuvabit enumerare, ut, quo in loco trimetri legantur, ubique adnotem. Exstant igitur apud Aeschylum: *τευχέων* Eum. 742 (_⏑_^{5}), frgm. 174, 5 (_⏑_^{4}), *τειχέων* Suppl. 475 (^{2}_ _), *ὀρῶν* frgm. 333 (⏑_^{5} *ὁρῶν* cod. Orion. Etym. p. 26, 5), *ψευδῶν* frgm. 295 (_ _^{1}), (*βελῶν*, quod frgm. 16 pro tradito *βαλών* tribuit M. Schmidtius in Philol. 16 p. 162, tamquam sat ambiguum non ausim adicere), *κερδῶν* Eum. 683 (__^{1}), deinde apud Sophoclem: *ἀνθέων* Electr. 896, (_⏑_^{4}) *ἑρκέων* Ai. 1274 (__^{1} Flor. *Γ* *ἕρκων* addito *γρ. ἑρκέων*), *βελῶν* Ai. 658 (⏑_^{6}), *ἐπῶν* Phil. 909 (⏑_^{6}), Ant. 277 (⏑_^{6}), *ἐτῶν* Ai. 508 (⏑_^{2}), *ψευδῶν* frgm. 749 (at cf. Ellendt. lex. Soph. II. p. 977 __^{5}), denique Euripidea: *ἀλγέων* Orest. 62 (_⏑_^{6} *ἀχέων* F), *νεικέων* Bacch. 294 (_⏑_^{4} attamen tota illa orationis pars cum Dindorfio damnanda est), *ὀρέων*, Bacch. 719 (^{2}⏑ _ _), *τειχέων* Bacch. 1223 (_⏑_^{4}), Hel. 108 (_⏑_^{4}), Electr. 94 (_⏑_^{2}), 101 (_⏑_^{4}), Suppl. 664 (_⏑_^{6}), 723 (_⏑_^{4}), Orest. 246 (_⏑_^{6}), Troad. 956 (_⏑_^{5}), 1134. (_⏑_^{6}), Phoen. 744 (_⏑_^{4}), 1097 (_⏑_^{4}) 1137 (_⏑_^{5}) 1150 (_⏑_^{6}), 1180 (_⏑_^{6}), *τευχέων* Heracl. 694 (_⏑_^{4}), 723 (⏑_^{4}), Troad. 11 (_⏑_^{4}), [Rhes. 566 (_⏑_^{4})], *τειχέων* Bacch. 1145 (__^{1}), Electr. 615 (__^{1}), *τειχέων* Andr. 167 (__^{1} sic Max Planud. quoque codd. ap. Walzium V. p. 486), Electr. 496 (^{2}_ _), *ἐτῶν* Hel. 112 (⏑_^{5}) 776 (⏑_^{6}), *ψευδῶν* Andr. 322 (__^{5}), 447 (__^{1}), Hel. 309 (__^{5}), 745 (__^{5}). Praeterea adicias *ἀνθέων* bisyllabum, quod legitur in Chaeremonis versu, frgm. 10, 2: *ἄνθεων ἄλογχον ἐστράτευσαν ἡδοναῖς κτλ.* Restant denique, cum in tetrametris Aeschyli et Sephoclis nullum quod huc pertineat exemplum legatur, duo Euripidis trochaeorum exempla: *τειχέων* Phoen. 593 et *νεικέων* eiusdem fabulae v. 637. Ex iis igitur quae proposuimus exemplis cum id statim appa-

reat, non eandem omnium genetivorum illorum esse rationem, in universum quidem hoc observare licet, quaecunque vocabula in έων terminata cretici aequent mensuram, ut τειχέων, τευχέων, ea per έων scripta in codicibus exstare, quae autem anapaestum efficiant, velut ὀρέων, per ῶν contractum. Duo autem vel tria vocabula adversantur huic regulae, ὀρέων, κερδῶν, ψευδῶν: quorum postremum apud Aeschylum et Euripidem et Sophoclem quater in quinta bis in prima trimetri arsi positum, dummodo omnia haec exempla ad ψεῦδος referenda sint, ubique in ῶν finitum exstat, priora hoc, cum Aesch. frgm. 333 ὀρῶν in quinto pede scriptum exhibeat, semel trisyllabum ab Euripide adhibitum est, ut de terminatione έων nullo modo liceat ambigere, illud semel trisyllabum ab Aeschylo. Iam autem quod ad eos adtinet versus, qui terminationem έων plene quidem scriptam praebent, sed tamquam unam syllabam pronuntiandam, eius memineris legis supra iam memoratae, ex qua in universum (perpaucis exceptis vocibus) synizesis a tragicis non videtur admitti potuisse nisi in primo tertioque trimetri pede. Quid quod cum illa vocabula, quorum brevis est syllaba princeps, velut ὄρος, βέλος sim. ita posita sint, ut syllaba finalis ῶν aut in arsin quintam cadat aut in sextam praeter reliquas versus arses, septem illorum exemplorum, quae voces ἑρκέων, τειχέων, τευχέων spondei loco admissas exhibent, quinque primi senarii pedis sunt, duo eiusmodi, ut τειχέων, τευχέων posita sint ante caesuram penthemimeren. Hoc profecto eo gravius est, quo facilius genetivi τειχῶν, τευχῶν similiterque conformati, quamvis vix admissa post caesuram hephthemimeren propter pausam, quae dicitur, Porsonianam, ea quoque ratione trimetro adaptari potuerunt, ut (vel tertium vel) quintum pedem explerent; quo accedit quod sex illa exempla eodem omnia modo in omnibus codicibus scripta leguntur, quorum quamvis singulis parvam tribuas auctoritatem, talis consensus magni certe est faciendus. Itaque quod supra notavi in diverbiis intercedere discrimen inter τειχέων sim. et ἐπῶν sim. satis superque constare ac confirmari persuasum mihi est; quare et ἑρκέων, τειχέων alia

(fortasse huc κερδέων quoque referendum) intacta relinquenda [1]) potius synizesi quam crasi affici statuam, et βελῶν, ὀρῶν similia rectius sic quam βελέων, ὀρέων in libris scripta exstare. Singularis quidem vocis ὀρέων usus est Euripidis, qui alias eiusdem modi genetivos consulto videtur evitasse. Ceterum sicuti, quae optime praecipue anapaestis conveniebant, formae duas breves syllabas ante finitionem monstrantes cur in diverbiis haud facile reperiantur, causa in propatulo est (cf. Ellendt. l. c.), ita non plane improbabile est, ipsos poëtas tragicos, cum vago fluctuantique dicendi usui pro metri necessitate certam quandam legem imponerent, etiam ad volgi sermonem magis stabiliendum figendumque valuisse; quod vero in diverbiis synizesin vocis ἐτέων sim. non admittebant, inprimis brevis syllaba praecedens έων syllabas causa videtur fuisse. — Sed restat adhuc ut de ὀρῶν illo in carmen Aeschyleum (Suppl. 51) inlato a Dindorfio, unde tota quaestio profecta est, iudicium faciamus. Atque quo maiore semper consensu in melicis codices formas in έων terminatas praebent sive unius instar syllabae sive duarum έων pronuntiari necesse est (velut ὀρέων Oed. R. 1106, Ant. 1131, Eurip. Electr. 700, Troad. 222, Iph. Aul. 203, 1082, quamquam bisyllabum ipsius huius vocis exemplum non exstat), eo verisimilius videtur, etiam Suppl. versui, dummodo vocis ὄρος genetivus genuinus sit, plenam formam ὀρέων per synizesin illam pronuntiandam restitui.

Sed ut tandem, unde delapsi sumus, revertamur ad synizesis exempla in canticis Aeschyleis lecta, iam referendae erunt nonnullarum vocis θεός formarum synizeses. Initio autem ponam, quae certae videntur, θεοῦ Sept. 701, θεοῦ Pers. 93, θεῶν Suppl. 396, 590 [2]), θεούς 1018. Incertum vero est, quid de Sept. 109 sit iudicandum, utrum nominativi θεοί synizesis analogia firmata statuenda sit [3])

---

[1]) perperam igitur Ellendt. lex. Soph. II. praef. p. X.: ‚sed τειχῶν probaverim in diverbiis — τευχῶν — ἑρκῶν.'

[2]) omisi, in quo incerta res est, versum illum ‚μῆνις ‚μάστειρ' ἐκ θεῶν 163, 173, quamquam synizesis haud improbabilis est.

[3]) ita Hermannus: ‚monosyllabum est θεοί'.

an mensura iambica illi relinquenda. Mediceus enim haec habet:

ϑεοὶ πολιάοχοι χϑονὸς ἴϑ' ἴτε πάντες
ἴδετε παρϑένων ἱκέσιον λόχον δουλοσύνας ὕπερ.

Hermannus ut et haec et sequens stropha a dimetro trochaico catalectico exordium caperet, deteriores secutus manuscriptos principium sic constituit: ϑεοὶ πολισσοῦχοι χϑονός, Dindorfius in dochmios redegit verba tali modo correcta: ἰὼ ἰὼ ϑεοὶ πολίοχοι χϑονός, ἴτ' ἴτε πάντες ὧδ' κτλ. Deque dochmiis ut in sequenti stropha (v. 114 sqq.), ubi δὲ (spscr. γὰρ) Medicei recte deletum est a Ritschelio, ita in hac vix poterit dubitari. Verum ut illi restituantur, tantum abesse existumes, ut audaciore quadam correctione opus sit, ut Medicei scriptura paene tota possit servari. Utut enim de v. 110 iudicandum est, v. 109 ϑεοὶ πολιάοχοι (–⏑⏑–⏑–) voce ϑεοί per synizesin contracta et optimus videtur dochmius neque in voce πολιάοχοι ulla inest dubitatio, quippe quam eodem modo quo πολιάνομος (D. Cass. 43, 28), πολιανομεῖν conformatam (cf. Lobeck. Phrynich. p. 681, 697) etiam Pindari (Olymp. 5, 10) tueantur codices. At vocis ϑεός forma monosyllaba in principio versus posita, cum excepta una voce ἐπάλξεων Sept. 158 synizesis omnino non cadat in primum dochmii locum neque in primam trimetri thesin praeter unum Euripidis versum, Suppl. 926, summam movet offensionem. Equidem nescio an praeferam Dindorfium secutus dochmium hunc in modum refingendum: ϑεοὶ πολίοχοι; deinde in verbis sequentibus χϑονός fortasse interpretis est, quamquam pro certo hoc non affirmaverim. — Neque vero dubito nunc, quin Eumen. 360 sq. crux illa interpretum, ϑεῶν monosyllabum, falso traditum sit; de emendatione autem totius loci ipse equidem prorsus despero, quamquam erat cum Hermanni illud Μοῖρ' — ἐπικραίνοι probabile mihi videretur. — Vox μέλεοι bis videtur synizesin pati, Sept. 876 et 948, quorum versuum neuter, quamvis singularis sit illa synizesis neque in ullo alio tragicorum loco admissa, reprehendendi certam ansam praebet; in priore quidem cogitare possit quis-

piam de *βελέων σὺν ἀκμᾷ*, verum traditum *μέλεοι* tuentur etiam chori qui sequuntur anapaesti. Deinde accedit fortasse synizesis duarum syllabarum finalium vocis *κυάνεον* Pers. 81, singularis illa quidem, sed defensa vocabulorum *χρύσεος* sim. (cf. Gerth. l. c. p. 232 sq.) exemplis: rectissime enim Hermannus male sese habere iudicavit Blomfieldi *κυανοῦν*, quod nusquam apud poëtas tragicos legitur. Attamen reticeri nequit, syllabarun *εο* synizesin nusquam praeterea usurpatam esse ab Aeschylo; neque vero praestat Hermannus quod ipse protulit, *κυανόν*, quale adiectivum et paucis confirmatur testimoniis neque apparet nisi apud posterioris aevi scriptores. Nemo autem de synizesi cogitabit in voce *χρυσεοδμήτοισιν* Choeph. 618 dudum correcta ab Hermanno neque in *ἀγανόρεα* Sept. 849, quod ne speciem quidem veri prae se fert; Agam. vero 146: *ἰήιον δὲ καλέω Παιᾶνα* et Choeph. 970: *ἰδεῖν θρεομένοις* ... a Gerthio inter synizesis exempla relatos cur neglexerim, causa in propatulo est. Denique *νεανίδων* Eumen. 959 supra iam adnotavi dubium esse utrum crasin patiatur an synizesin. —

Trimetrorum exordio, cum et de anapaestis et de synizesi facta cogitari posset, quem supra commemoravi, Joh. Rumpelius (Philol. XXV. p. 59) plerumque synizesin quam anapaestum maluit tribuere. Quales adtulit hos versus: Sept. 471 *πόλεως*, Pers. 808 *ὕβρεως*, Sept. 64 *Ἄρεως*, Sept. 495 *ὄφεων*, Choeph. 682 *τεθνεῶτ'*. Quorum ex numero cum facilius expediantur *Ἄρεως*[1]) et *τεθνεῶτ'*, quippe quorum prius omni prorsus synizesis similis exemplo destitutum sit, eodemque modo posterius scribendum rectius fortasse *τεθνῶτ'*, de reliquis *πόλεως*, *ὕβρεως*, *ὄφεων* difficilius est iudicium facere, praesertim cum anapaesti usus Aeschyleus non minus angustis circumscriptus sit finibus quam synizesis. Nec tamen *πόλεως* vocis synizesin libenter non agnoscam, quali synizesi

---

[1]) De *Ἄρεως* in Proleg. ad V. trag. Graec. p. 32 haec adnotat Dindorfius: „quod non cum synizesi pronuntiandum"; contra *πόλεως*, *ὕβρεως*, *τεθνεῶτ'* anapaestorum exempla enumerans ille non adfert.

prae ceteris tragicis Aeschylus favere videtur; neque a synizesi vocabulorum ὕβρεως et ὄφεων accipienda prorsus abhorreo. Quidquid autem de his statuendum erit, certe adhuc satius duco, huiusmodi synizesis exempla omittere; quare in calculis infra positis neglegere ea malui quam adsumere. —

Habes iam quae de synizesis exemplis Aeschyleis adnotanda inveni; neque vero fieri nequit ut unum vel alterum me fugerit, tamen ne graviora omiserim, non vereor quaeque omisi facili negotio suppleri poterunt. Superest autem, id quod nullius momenti esse vix censeas, ut numerus synizesis exemplorum ab Aeschylo adhibitorum tali ratione oculis proponatur, ut, quomodo inter singulas eius tragoedias distributa sint, dilucide cognoscatur; quo facto prima fronte adparebit, nequaquam omnium fabularum eandem in hac re esse condicionem. Iuvabit autem vocis πόλεως synizeses ubique seorsim afferre, quippe quae reliquis multo faciliores videantur fuisse neque paribus atque reliquae legibus subditae. Exhibent igitur synizesis exempla:

in trimetris:	in anap. syst.:	in melicis:
Prometh. —	— (1) [1]	—
Septem. 7 (8)	1	11 (12)
(vocis πόλεως 6)		(vocis πόλεως 2 [3])
Persae 1	2	3
(in tetr. troch. 2)		
Supplic. 5 (4)	—	5 (4)
(vocis πόλεως 4 [3])		(vocis πόλεως 1)
Agam. vocis πόλ. 2	1	1
Choeph. — (2)	—	—
(vocis πόλεως — [1])		
Eumen. vocis πόλ. 3	—	1 (2) [2]

sive in versibus
1077 exempla 19 Septem adv. Theb.
1074 » 10 Supplices

[1]) uncinis inclusi numerum exemplorum in codicibus traditorum.
[2]) omisi νεανίδων in hoc numero.

1076 exempla 8 Persae
1673 » 4 Agamemnon
1047 » 4 Eumenides
1076 » — Choephorae
1093 » — Prometheus.

Apparet ex hac tabella simile fere atque in admissis trimetrorum pedibus solutis (Pers. 1 : 8, Sept. 1 : 9, Suppl. 1 : 13. — Agam. 1 : 22, Choeph. 1 : 17, Eumen. 1 : 22, Prom. 1 : 23) discrimen intercedere inter Septem, Supplices, Persas et Orestiam, Prometheum in synizesis exemplis usurpatis. Nimirum quas vetustiores constat esse fabulas (Pers. olymp. 76, 4. Sept. olymp. 78, 1; etiam Supplices et propter compositionem et propter metrorum rationes hoc tempore scriptam esse, persuasum habeo), eae aliquanto ampliorem huius licentiae usum exhibent, quam posterioris aetatis tragoediae (Orest. olymp. 80, 2), inter quas etiam Prometheum referendam esse existumo (nam optimo iure Westphalius propter metra superstitem Prometheum eidem tempori tribuit quo Orestia acta est, quam qui paulo post Aetnae eruptionem olymp. 76, 2 actam opinantur, necesse est, pristinam fabulam non esse servatam sumant). Quo accedit, quod synizesis in voce θεός adhibita, dummodo recte iudicaverimus de Sept. 275, Choëph. 148, Prom. 156 in trimetris, trochaicis tetrametris, anapaesticis systematis omnino non adhibita est ab Aeschylo nisi in una fabula antiquissima, Persis, in melicis vero, siquidem recte excluditur Eumen. 362, hanc synizesin solae antiquiores tres fabulae praebent: Persae, Septem adv. Thebas, Supplices. —

2.

Transeo iam ad Sophoclem: qui non solum ampliorem synizesis usum quam Aeschylus occupavit verum etiam eius indolem quodammodo mutavit alias atque ille voces ad synizesin adhibere solitus. Quid quod creberrime in trimetris quidem qualem synizesin inter rarissimas ab Aeschylo ad-

missas rettulimus. vocabuli θεός formas per synizesin monosyllabas fecit, praesertim ubi formula πρὸς θεῶν usus est: quae cum spondeum efficiat in his versibus [1]: Ai. 594 (θεῶν in I. arsin cadit), 1028 (θεῶν in 3. thesi. seclusit vv. 1028—1039 Morstadtius), Electr. 1206 (3), 1484 (I), Oed. Reg. 536 (3), 697 (I), 1153 (3), 1432 (I), Trach. 242 (3), Philoct. 433 (3), 747 (I), 933 (I), 1235 (I), 1301 (3), Oed. Col. 756 (I), 1407 (3), plenam mensuram tenet in paulo maiore versuum numero circiter vicies. Formula illa autem πρὸς θεῶν cur nusquam tali modo synizesin patiatur ut vox θεῶν in tertiam cadat trimetri arsin, causa in propatulo est: nimirum cum duae illae voculae tam arte inter se cohaereant, ut unius fere instar verbi sint, propter caesuram pedem tertium trimetri non possunt facile explere. Alia autem in pede quinto res erat, de quo infra dicendum erit. Praeter autem formulam πρὸς θεῶν quae in trimetris Sophocleis inveniuntur formae vocis θεός monosyllabae eiusmodi omnes sunt, ut posteriorem syllabam semper per se longam habeant ac plerumque praecedat syllaba et ipsa longa; velut θεοί Electr. 411 (I), Philoct. 779 (I), 1020 (III), θεῶν Ai. 588 (I), θεοῖς Ai. 489 (III), Oed. Col. 964 (III) θεοῖσι Trach. 183 (III), θεούς Ai. 1129 (III). Brevis quidem est syllaba praecedens in uno tantum trimetro, Philoct. 1036: τὸν ἄνδρα τόνδε, θεοῖσιν εἰ δίκης μέλει, quem corrigi vix necesse erit, cum eiusdem modi exempla apud Euripidem quoque exstent. Verum nequaquam hoc exemplo defendi credo Elmleii coniecturam a Nauckio receptam, qui in Aiacis v. 1129 pro traditis μὴ νῦν ἀτίμα θεούς restitui voluit μὴ νῦν ἄτιζε θεούς; neque enim omnino unum exemplum in tali re prae aliorum multitudine nimium valet [2]) neque, cum in posterioris temporis fabulis appareat Sophoclem maiore cum licentia synizesi

[1]) errasse videtur Rumpel. l. c. (Philol. XXVI. p. 248), qui dicit: „Noch beliebter ist πρὸς θεῶν Ai. 594: πρὸς θεῶν, μαλάσσου· μῶρά μοι δοκεῖς φρονεῖν, so bei Sophocles acht-, bei Euripides eilfmal."

[2]) quamquam componere licet etiam Oed. Reg. 1519.

usum esse quam in antiquioribus, probabiliter quod semel sibi indulsit poëta in una ex recentioribus tragoediis, multo, ut videtur, antiquiori tribuas. Trimetrorum autem quae adtuli exemplis unum tetrametrorum trochaicorum licebit adiungere, θεοῖς monosyllabum in altera arsi adhibitum Oedip. Reg. 1519. Praeterea e fragmentis Sophoclis accedunt duo exempla: θεοί frgm. 789 (I) et θεοῖς frgm. 682 in tertia arsi positum praecedente syllaba longa. — Minus frequenter quam in voce θεός synizesis admissa est in genetivo πόλεως, cui tamen vocabulo, ubi duas efficeret syllabas, saepius χθονός substitutum esse a librariis post alios Nauckius (Bull. de l'acad. imp. d. sciences de St. Pet. tom XII. p. 496) luculentis demonstravit exemplis. Leguntur autem hodie in libris haec illius synizesis exempla: Ant. 194 (εω syllabae in quartam cadunt arsin), 289 (VI. Herwerd. Oed. R. p. 201 eiecta voce πόλεως ante ἀλλά supplevit οὐκ ἔστ'), Oed. R. 630 (II), Oed. Col. 47 (VI. locus corruptus est: Nauckius: »fortasse deleto v. θάρσος scribendum ἀλλ' οὐδ' ἐμόν τοι τοὐξανιστάναι σ' ἕδρας πόλεως δίχ' ἐστί.«), 739 (VI. interpolatori deberi hunc versum Nauckius mihi nondum persuasit); praeterea in primo pede πόλεως exstat bis, Ant. 656 et Oed. Col. 558, quos locos ad synizesin retulit Rumpelius l. c. Porro pro tradito χθονός genuinum πόλεως bisyllabum rectissime restitutum est Ant. 187 (VI) a Blaydesio [1], suprascriptum iusuper a I. m. cod. Laur., Oed. Col. 926 (VI) ab Heimsoethio, Ant. 736 (VI) a Nauckio (Mél. Gr.-Rom. tom. III. p. 313 adnot. 51); multo certe minus probabilis est Blaydesii coniectura in Ant. 178 (πρύμναν εὐθύνων πόλεως) et Nauckii in Electrae v. 382. — Deinde sequitur declinationis alterius quae vocatur Atticae unum nomen proprium Ἀμφιάρεως per synizesin pronuntiandum Oed. Col. 1313. Ἑρκέων synizesin pati Ai. 1274 (I) supra iam adnotavi. Substantivorum in εύς exeuntium invenitur φονέως bisyllabum Oed. Col. 1361 (IV), idem a Rumpelio tributum

---

[1]) ‚χθονὸς was probably substituted by some one ignorant of the synizesis in πόλεως.'

Aiacis quoque versui 1026 (I), ac nomina propria Ἀχιλλέως, quod septies synizesi afficitur in tertia thesi: Philoct. 57, 364, 582, 1066, 1237, (ἀχίλλεω Laur. a. m. I), 1298, 1312, Αἰγέως Oed. Col. 607 (3), 940 (3), Θησέως Oed. Col. 1003 (3), 1103 (I), Μενοικέως Oed. R. 1503 (3). Accusativos autem horun nominum nescio an recte praeceperit Hermannus (ad Eurip. Alc. 25) tummodo synizesin pati, cum syllabas εα longa vocalis praecederet, de qua lege uberius infra disseram. Quare cum nolim mutatum Ὀδυσσέα Ai. 104, ubi Nauckii coniecturae Ὀδυσσῆ certe praestat Dindorfii Ὀδυσσέα 'γὼ (vel Ὀδυσσέα γε), atque Πηλέα frgm. 444 (fortasse Ἀτρέα quoque huc pertinet, Ai. 1293, quippe quod in trimetris fere semper longam habeat syllabam initialem), non agnosco vocis φονέα synizesin a Rumpelio defensam, praesertim cum ubique (Oed. R. 362, 703, 721, Trach. 1207) in primo trimetri pede legatur, ita ut anapaestum liceat praeferre. — Deinde singularis est primarum vocis Νεοπτόλεμος [1]) syllabarum synizesis bis occupata a Sophocle Philoct. 4, 241 (III), quam necessitati cuidam metri deberi in propatulo est. — Prorsus vero omni probabilitate carent, quas Rumpelius statuit, vocis κολεῶν synizesis Ai. 730 in primo pede adhibitae, et vocis νεοχμόν Philoct. 751. Neque iure puto defensas a Passovio genitivi Ἡρακλέους Trach. 406, Philoct. 943 et accusativi Ἡρακλέα Trach. 233 synizeses: immo in illis versibus anapaestus videtur accipiendus esse, in hoc ex Trach. 476, ubi Ἡρακλεῖ Laur., reliqui Ἡρακλῆ, cum Dindorfio Ἡρακλῆ restituendum. — De ἔα monosyllabo supra iam dictum est: ibi quem praetermisi locum, Oedip. Col. 1192 (codd. ἀλλ' αὐτόν: Dawesius ἀλλ' ἔα αὐτόν, editor Lond. a. 1722 ἀλλ' ἔασον, Musgravius ἀλλ' εἶξον) in eo Dawesii coniecturam ἀλλ' ἔα αὐτόν nollem denuo

---

[1]) cf. Lobeck. Path. Gr. serm. el. II. p. 92: „Sed Neoptolemi nomen ubi ad tres redit syllabas, Νουπτόλεμος scribendum esse, apud tragicos verissime negat Hermannus, neque magis admittit Νεπτόλεμος, sed potius „epsilon audiri quidem debere, sed ita ut in πόλεως aliisque vocibus ita correptum ut non sit syllabae loco.‟"

protulisset Ahrens l. c. nam etiamsi crasin illam ἐᾳ αὐτὸν confirmari concederem conlatis Aristoph. Lys. 945, Ran. 1245, nullo tamen modo synizesin et crasin ita coniunctas probarem. Verum medicinam corruptelae nondum existumo repertam esse; ἐάω quidem verbum si tenendum est, de quo tamen dubito, praeferam Wunderi coniecturam ἀλλ' ἔα νυν. — Corruptus denique est versus Nauplii κάτω κρέμανται σπίζα τέως ἐπ' ἕρκεσι (frgm. 395), ubi Dindorfius probabiliter σπίζ' ἄπιος (neque enim σπίζα γε ὥς praestat), Lehrsius σπίζα τέτατ'.

In anapaesticis systematis similes fere atque in trimetris synizeses a Sophocle adhibentur. Quodque ad θεοί vocem adtinet, a synizesi eodem modo excludit omnes formas, quae non exeant in syllabam longam; ubique autem praecedere syllabam longam in aprico est. Est igitur monosyllabum θεοί Ant. 938, θεῶν Philoct. 196; magis ambigua res est in Ant. 1348 (χρὴ δὲ τά τ' εἰς θεοὺς libr. τά γ' Tricl.), ubi nescio an iure traditam lectionem damnaverit Dindorfius (χρὴ δ' εἰς τὰ θεῶν). — Genetivus νεικέων synizesin patitur Ant. 111. — Deinde substantivorum in εύς exeiuntum synizesin exhibent duo nomina propria Αἰγέως Oed. Col. 1754 et Μενοικέως Ant. 156 (de quo versu infra vide plura); contra anapaesti mensuram aequare mihi videtur Ἀτρέως Electr. 1508. Eodemque modo synizesin abiudicem ab Ἡρακλέους Philoct. 1411, praesertim cum quattuor deinceps spondei in his Sophoclis anapaestis rarissimi sint. — Restat iam, de qua iudicium fiat, vox Κρέων unius instar syllabae longae tradita in libris Ant. 156, synizesis plane inaudita neque quam comparare liceat cum Ῥέας monosyllabo Oed. Col. 1073 ambiguo et ipso, tamen a nullo dum prorsus desperata. Accedit autem quod etiam quae sequuntur verba sive corrupta librariorum culpa sive inquinata interpolatorum additamentis legi hodie videntur. Nequaquam vero pro explorato habeo, quod post alios Nauckius quoque tutatur, accuratam intercedere responsionem cum inter vv. 110—116 et 127—133 tum inter vv. 141—147 et 155—161; certe huius responsionis, ut est

incerta. in examinandis vv. 155 sqq. praestabit rationem habere quam minimam. Quare cum nihil iam desiderari putem, quo sententia redintegretur, recepta Dindorfii coniectura ex parte quidem admodum probabili: *Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμοῖσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις*, propter responsionem illam plura intercidisse dubito equidem statuere. Deinde ut libentissime respuet quisque invenustos illos numeros ab Heathio propositos: *τῆςδε Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμός*, ita unum hoc fortasse pro certo licebit adfirmare, quicunque *Κρέων* vocem in duobus primis versibus studeat servare, ei nisi audacissime tradita verba inversuro synizesin quoque tenendam esse eius vocis quamvis insolitam. Verum ipsa hac voce utique opus esse vix continget demonstrare; eodem enim modo Creon denuo in scaenam prodiens (v. 1257) non significatur nisi *ἄναξ* voce, neque quod primum hic prodit obstat, quippe quod in Aiace quoque v. 210 Tecmessam primum advenientem tantum *παῖ τοῦ Φρυγίοιο Τελεύταντος* chorus appellet. Itaque cum facile carere possimus voce molesta *Κρέων*, duplex eius removendae ratio datur, aut, quam Brunckius suasit, ut totum versum 156 tollamus (ipse vero *νεοχμός* praecedenti versui tribuit pro *χώρας*) aut ut expuncto solo *Κρέων* vocabulo, vel *παῖς ὁ Μενοικέως*, conlocata ut *παῖς ὁ τοῦ Λαερτίου* Ai. 101, vel *ὁ Μενοικέως παῖς* poëtae tribuamus. Vix autem tales anapaestos proponere ausim:

ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς χώρας
παῖς ὁ Μενοικέως
νεοχμοῖσι Κρέων ἐπὶ συντυχίαις κτλ.

Ex fragmentis Sophoclis anapaesticis duo nova accedunt synizesis exempla, *χαλκέοισι* et *χαλκέοις* frgm. 489, 3; 7; qua de synizesi contra Elmsleii opinionem (ad Eur. Med. 1129) bene disseruit Gerthius l. c. p. 232 sq. Etenim adiectivorum in *-εος* et *-οος* exeuntium aliam docuit in diverbis esse rationem aliam in anapaestis et canticis: hic enim ubique diaeresin, quae vocatur, scriptam exstare in syllabis postremis sive divisis inter se sive in unam coniunctis, contra in diverbiis, a quibus prorsus abesset synizesis elegantia, e diversa numerorum natura diversam effloruisse scripturam. Atque quod

de adiectivis in *οος* terminatis nimis audacter puto affirmatum esse (Trach. 844: *ἀλλοθρόου* vereor ne pauci Gerthio adstipulentur synizesin haud ita volgarem sed poëtarum lyricorum consuetudine optime confirmatam statuenti; immo *παλίρρους* Euripidis codices Electr. 1155 exhibent in dochmiis, iidem *παλίρρους* Herc. fur. 739) id. quamvis non nitatur nisi librorum fide, in *χρύσεος χάλκεος* sim. vero videtur simillimum. Quamquam, quas Gerthius nondum respexit in commentatione sua, Euripidis fabularum cum cantica et anapaesti prorsus eandem quam Sophoclis atque Aeschyli legem sequantur, nonnulli inveniuntur diverbiorum loci, qui secundum codicum quidem scripturam canoni a Gerthio constituto adversentur; verum praetermittendum non est, neque codicum Euripidis in talibus eandem esse auctoritatem atque libri Medicei Laurentiani et in plerosque scriptores formas illorum adiectivorum non contractas librariorum culpa inrepsisse (cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 207). Res prorsus similis accidit in compositis, quorum prior pars a *χρυσός*, *χαλκός* derivata est; quae cum saepius in libris exstent a *χρυσεο* etc. incipientia, quod trochaei mensuram aequet necesse sit, de synizesi facta nemo iam cogitat (cf. Hermann. ad Eurip. Phoen. 222). Refragantur vero Gerthii canoni hi versus: Ion. 1165, qui ante caesuram praebet *χρυσέους* (de brevi *υ* cogitari nequit, v. Hermann. el. d. m. p. 44, Erfurdt. ad Soph. Ant. 103), Ion. 1182 *χρυσέας* (I) uterque deterioribus tantum libris firmatus, praeterea *χαλκέοις* Phoen. 1359 (3. sic A B F *C χαλκοῖς* bc), [*χαλκέοις* Suppl. 1151 ex lyricis est] et *χαλκέων* Iph. Aul. 1260 (I. *B καλκέων C χαλκέων ϑ*); adiciendum fortasse *κυνέας* quoque Suppl. 717 (I) coll. Soph. Ai. 1287. Atque syllabarum *έας* accusatici contractarum quidem exemplum tragicum nullum invenitur, syllabarum *έων* solum *ἀργυρῶν* Eurip. frgm. 676, 3, quam tamen synizesin contendere possis vitatam propter brevem syllabam mediam. Contra praeter Aeschyli et Sophoclis exempla contracta, quae Gerthius congessit, Euripidea habes haec: *χρυσοῦς* Med. 1186, *χρυσοῦ* Iph. Taur. 976, *χρυσοῦν* Phoen. 856, Med. 1160,

χρυσοῖσι Ion. 1107, (χρυσῆ Rhes. 303), χρυσῆς Iph. Taur. 813; (χαλκῆ Rhes. 307); σιδηρᾷ Cycl. 33, σιδηρᾶ Phoen. 26, σιδηραῖς Bacch. 231 manuscriptorum consensu defensa; quibus adiungenda sunt fragmentorum Euripideorum exempla: χρυσοῦν frgm. 71, 2 (schol. Pind. Nem. 4, 32, v. 1 ex anecd. Boiss. correctus est), χρυσῆν frgm. 353, 2 (schol. Ven. Ar. Pac. 97, pro codicis ἢ χρυσόν Seidl. recte χρυσῆν); ἀργυρῶν frgm. 676, 3, (πορφυροῦς frgm. 692, 1 videtur corruptum.) Paulo sane maior distractarum formarum in Euripidis trimetris inest numerus quam contractarum, quas singulas enumerare longum est; satis habeo adnotasse circiter viginti huiusmodi exstare exempla. Denique in minorum tragicorum fragmentis tres formae leguntur contractae, in Astydamantis trimetris, frgm. 3: ἀργυρῷ v. 1, ἀργυρᾶ v. 3, χρυσᾶ v. 4, duae non contractae eaeque in melicis adhibitae: πορφυρέαις Phryn. frgm. 8 et χρυσέον frgm. adesp. 103, 2 (πορφυρέαις Ath. p. 604 A πορφυραῖς Ath. p. 564 F et Eustath. Od. p. 1558 18 — χρυσίον cod. Diod. Sic. exc. Vat. p. 135 χρυσέον L. Dindorf.). Quae cum ita sint, equidem vix dubito etiam quattuor illis trimetris Euripideis contractas restituere formas χρυσοῦς, χρυσᾶς, χαλκοῖς, χαλκῶν, praesertim cum in canticis Euripideis omnino nulla scripturae cernatur diversitas.

Restant iam cantica Sophoclea, in quibus haud ita magnus synizesis usus apparet. Creberrima quidem etiam in his ut in diverbiis synizesis est in θεός adhibita, qua in admittenda etiam ad paulo maiorem quam illic licentiam poëta hic progressus est. Quamquam vulgo quae Sophocli tribuitur ab editoribus synizesis feminini θεαῖς Oed. Col. 680 Elmsleium secutis, ea nihili est; nam cum traditum ibi esset θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις, vitium non tam in θείαις latere quam in voce ἀμφιπολῶν perperam cum dativo coniuncta, Buechelerus me docuit in scholis. At concedamus, hanc licentiam ne recentiori quidem Sophoclis tragoediae recte tribui, certe in canticis eo procedit, ut non solum masculini θεός formas in longam vocalem terminatas per synizesin contrahat, verum

etiam nominativum et accusativum numeri singularis. Huius modi autem synizeses non inveniuntur nisi bis in fine versus admissae: *θεός* Electr. 179 et Oedip. R. 215 *θεόν*, de quibus dubitationes equidem non moverim. Contra longa est syllaba posterior in his exemplis: *θεοῦ* Oed. R. 177, *θεῷ* Oed. Col. 247, *θεῶν* Ai. 399, 698, Trach. 499, Philoct. 1162 (*προς θεῶν*). Paula minus certe, quamquam etiam in his synizesis probabilis videtur, iudicare licet de Philoct. 1185 et Ant. 152 (*θεῶν*) quorum posteriori qui respondet versus antistrophicus, eum gravissime corruptum frustra tentavi [1]); contra recte remota videtur synizesis Phil. 517, ubi *ταν θεων νεμεσιν* pro traditis *ταν εκ θεων νεμεσιν* Hermannus. Prorsus ambigua denique res est in Oed. Col. 1085, cuius ne de metro quidem adhuc satis constat. Atque Steinhartus quidem in stropha *ερδουσ η μελλουσιν; ως* correxit, quibus responderet versus antistrophicus: *ιω Ζευ πανταρχε θεων*; verum quantopere vitata sit talis vocis *θεος* synizesis, quam praecederet syllaba brevis, supra iam vidimus neque cantica Sophoclea ullum huiusmodi exhibent exemplum. Dein Hermannus ut ischiorrhogicos versus restitueret servata synizesi scripsit: *ιω πανταρχε θεων παντοπτα Ζευ ποροις κτλ.* et in stropha *ερδουσιν η μελλουσ ως κτλ*, quam Dindorfius recepit coniecturam; sed talem transpositionem omni carere veri specie iure ratus Westphalius (Metr. d. Griech. II. 2, p. 845) posterius par stropharum ab anapaestis spondiacis incipere statuit, in antistropha sic redintegrandis: *ὦ Ζεῦ πανταρχε θεῶν κτλ.* Quod si recte sumatur, praerogem: *ω Ζευ πανταρχα*

[1]) cum probabile sit, v. 138 sq. hunc fere sensum esse: atque ille sic cecidit, alia aliorum sors fuit', nescio an pristina vs. 138 et 139 haec fuerit species:

ἄλλα
εἶχε δ' τὰ μέν
τὰ
ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα κτλ.;

deinde in textum inrepserunt suprascripta *ἄλλα* et *τα*, quorum prius insuper vocem genuinam extrusit.

θεῶν, quo etiam accuratior stropharum inter se responsio evadat; formam enim *παντάρχα* libri tuentur Aristoph. Av. 1058, ubi cognomina Iovi convenientia avium sibi adrogat chorus. At fieri nequit, quin mihi displiceat *θεῶν* illud adiectum; immo praestare mihi videntur sola cognomina illa *παντάρχα παντόπτα* iuxta posita. Verum tamen certum de hoc loco iudicium edere non audeo. — Maiores autem fere difficultates alius praebet locus, Electr. 178, ubi tamen nullus dubito quin pro genetivo *ἀχέων* nullo modo possit haberi (cf. Usener. lect. Gr. Mus. Rh. XXV). Porro qui reliqui exstant substantivorum in *ος* exeuntium tertiae declinationis genetivi per synizesin pronuntiandi supra ii iam sunt enotati. — Vox *πόλεως* semel tantum invenitur bisyllaba Ant. 843; neque plus exstat vocis *Ἀμφιάρεως* synizesis tradita illa recte, ut videtur, Electr. 837. — Deinde synizesis in voce *ἐᾶτε* Trach. 1005 propositae a Brunckio aliis mentio iam facta est. — Reliquum est ut *Ῥέας* monosyllabum commemoretur traditum Oed. Col. 1072. Quae quamvis singularis sit synizesis, tamen defendere possis eo, quod idem nomen monosyllabum in fine hexametri legatur apud Homerum (*οὓς τέκετο Ῥέα* Il. XV. 188, cf. Lobeck. Path. Gr. s. el. II. p. 79); verum etiam *Ῥῆ* contractum tamquam a Syrio (Pherecyde ?) usurpatum testatur Herodianus. Sed neque Homericum *Ῥέα*, dummodo genuina sit synizesis, neque *Ῥῆ* Pherecydeum sine dubitatione Sophocli affingere poteris. At de quo dubitare facillimum est, difficillimum id est aliqua cum probabilitate removere; neque enim strophae qui respondet versus ullo modo videtur corruptus neque antistrophae, quod quidem ad sensum adtinet, in verbis postremis hucusque haesi. Erat autem cum de *Γᾶς* restituendo cogitarem; *Γᾶ* enim in Philoctetae carmine, v. 391 sq. (*ὀρεστέρα παμβῶτι Γᾶ, μᾶτερ αὐτοῦ Διός*), ubi de lectione tradita non licet dubitari, mater Jovis appellatur, similiterque in Aeschyli Supplicibus, v. 892, 901 *Γᾶς παῖ Ζεῦ* invocatur, quamquam nimium Prellerus videtur dixisse (Gr. Myth. I. p. 502) *Γᾶς* et *Ῥέας* nomina a poëtis Atticis promiscue adhiberi adnotans. Sed praeter alia hac

in coniectura displicet adiectum *γαιάοχον*; deinde exspectes volgarem traditionem nostro loco sequi poëtam. Alia autem coniectura probabilior cum mihi non sit in promptu, satius erit traditam synizesin servare, dum alii certiora proferant.

Supersunt iam nonnulli loci, quibus synizeses tradi videantur codicibus, eiusmodi tamen, ut aut vitium dudum apertum emendatumque sit aut probabiliter omnino non possit de synizesi cogitari. Quos silentio praetermittere malui quam acta agere. Utilius certe erit simili ratione ut apud Aeschylum etiam Sophocleorum synizesis exemplorum talem proponere tabulam, unde quantus singularum fabularum sit numerus clare dignoscatur. Qua in compositione neglegendos duxi praeter ea, de quibus supra iure, ni fallor, dubitavi, exempla eos versus, qui monosyllabum *ἔα* aut disyllabum *ἐᾶτε* exhibent, reliquos omnes enotavi. Exstant igitur synizesis exempla circiter:

	in trimetr.:	in anap. syst.:	in canticis:	
Aiac.	7	—	4	= 11
Electr.	3	—	2	= 5
Oed. R.	6	—	2	= 9
(vocis *πόλεως* 1)				
in tetram. 1				
Antig.	3 (1)	4 (5)	2 (4)	= 9
(vocis *πόλεως* 3 [1])				
Trachin.	2	—	1	= 3
Philoct.	17	1	3 (4)	= 21
Oed. Col.	11 (10)	1	4	= 16
(vocis *πόλεως* 2 [1])				

Quibus numeris quo magis equidem id effici nego, ut certum quendam in synizesi admittenda progressum Sophocleum accuratius persequi liceat (neque plerasque diversorum generum causas ad eam admittendum sive omittendam multum valuisse non constat), eo magis inde in universum quidem apparere puto, Sophoclem nequaquam omnibus temporibus hac in re sibi constitisse neque recentiorum eius tragoediarum prorsus eandem esse indolem quam vetustiorum. Verum cum

praeter Antigonam, Philoctetam, Oedipum Coloneum, quibus temporibus singulae tragoediae actae sint, distinctius definiri nequeat, de synizesis usu Sophocleo minime pariter certum ac de Aeschyleo iudicium liquet. Hoc tamen perspicuum esse existumo, si quidem praeter alios viros doctos Dindorfius recte ostendit, Antigonam omnium quae servantur fabularum esse antiquissimam, de qua re inter plerosque convenire nunc videtur, synizesis usum, cum aliquanto crebrior sit in tragoediis prioribus, magis magisque coërceri inde ab Antigona et Aiace, deinde rursus sensim crebriorem fieri in tragoediis postremis. Summum igitur synizesis exemplorum numerum exhibent hac Aiax et Antigona, illac Oedipus Coloneus et Philocteta, minimum Trachiniae atque Electra. Atque inter Oedipum quidem Coloneum et Philoctetam etiam hic simile intercedere discrimen iuvat cognoscere, atque in numerorum praecipue trimetrorum indole; unde quod Hermannus Oedipum Coloneum, quamvis mortuo demum poëta actam, scriptam ante Philoctetam probabiliter censuit, synizesis in utraque fabula ratione perspecta novum quoddam adminiculum huic sententiae paratur. Neque vero numero solum synizesis exemplorum admissorum, sed etiam eorum natura atque indole singulas Sophoclis fabulas inter se differre, data accasione iam momuimus; quemadmodum in θεός voce in aliis fabulis tum modo synizesis adhibetur cum longa syllaba praecedit, sola in Philocteta etiam brevi antecedenti. Eodem pertinet, quod ipsa haec vocis θεός synizesis, quam in omnibus fere Aeschyli fabulis a diverbiis exclusam vidimus, nondum apparet in antiquissimae Sophoclis fabulae trimetris, Antigonae, deinde apparet in omnibus quae sequebantur fabulis. Quod genus diversitates alias nonnullas, quas facile licebit investigare, has ego nunc missas facio, ne iustos excedere videar fines. In calce potius ut breviter proponam quem mihi finxerim in synizesi adhibenda ordinem fabularum Sophoclearum — nam fusius demonstrare longum est —: en hic est (addam ubique in quot fabulae versibus singulae inveniantur synizeses): Antigona (135), Aiax (129), Trachiniae (426),

Electra (302), Oedipus Rex (170), Oedipus Coloneus (111), Philocteta (70).

3.

Sophoclis tragoedias sub mediam fere vitam editas postquam vidimus minimo synizesis exemplorum numero excellere, Euripidem aperte, ut spero, elucebit, quo posterioris aetatis sint fabulae, eo ampliorem liberioremque illius licentiae usum exhibere. Atque in singulis quidem quae in Euripidis fabulis exstant synizesis exemplis enumerandis ut a trimetris initium capiamus, sicuti in Sophocleis haud ab re erit, primo loco vocis *θεός* synizeses proponere, quippe quae multo sint creberrimae facillimeque iudicandae. Saepissime igitur eas formas in unam syllabam coactas habemus, quae longam teneant terminationem. Quarum haec sunt exempla: *θεοί* Alc. 1125, Hel. 914, Iph. Aul. 747, Bacch. 1094. 1348; Andr. 1198, Suppl. 214. 231, Iph. Taur. 120. 329. 587. 719. 1165. 1186, Ion. 315. 421. 1310. 1373, Cycl. 286, (non huc referam frgm. 1060, 2, ubi ἢ temere additum a Nauckio). — *θεῷ* Suppl. 1203, Iph. Taur. 280, Ion. 644. 997. 1525. — *θεοί* Alc. 1123, Hipp. 1060. 1169, Hel. 71. 74. 273. 560. 855. 1447, Orest. 385. 620. 1650; Andr. 258. 750, Hec. 958, Suppl. 926; frgm. 123, 1, 294, 7. 970, 2 (ubi tamen delendum puto articulum). — *θεῶν* Med. 528. 670. 879. 919, Hipp. 98. 104. 333. 657, Troad. 27. 612. 979, Hel. 268. 585. 660. 704, Orest. 92. 271. 531. 579; Andr. 575. 901, Hec. 551. 584. 804, Electr. 364. 1000. 1165, Heracl. 351, Herc. fur. 719. 852. 1228. 1315, Suppl. 202. 268. (612 tamquam trimeter lyricus hic omittendus est), Iph. Taur. 509. 560, Cycl. 624. 679, Phoen. 506. 572. 958. 1083. 1202; frgm. 132, 1 (*τύραννε θεῶν τε κἀνθρώπων* Athen. XIII. p. 561 B. *θεῶν τύραννε* remota synizesi Lucian. *κάκιστε πάντων θεῶν* Stob.), 252, 1. 257, 1 (*τὰ θεῶν. σὺ* Stob. *τὰ τῶν θεῶν* Orion.) 362, 15. 793, 4. 1014, 3. — *θεοῖς* vel *θεοῖσι(ν)*, Hipp. 940. 1328, (Troad. 969 nescio an recte restituerit Nauckius: *τοῖς θεοῖσι.*

v. infra), Hel. 871. 878, Orest. 418; Andr. 1251, Electr. 764, Heracl. 347. 877, Herc. fur. 176, Suppl. 494, Ion. 1130; frgm. 329, 6. 334, 2. (de cuius versus auctoritate dubito) 781, 52. 792, 1. — *θεούς* Med. 493, Troad. 86; Electr. 80. 566, Herc. fur. 1341, Suppl. 505, Iph. Taur. 780. 1479, Phoen. 873, (omisi Hel. 9, cuius in arsin quintam *θεούς* monosyllabum perperam intulit Scaliger, v. infra). Hoc autem ex numero cum in tertiam trimetri arsin synizeses cadant quadraginta septem fere, in tertiam thesin triginta sex, denique in primam arsin triginta, in thesi prima unum tantum invenitur exemplum, Suppl. 926, quod quo magis num genuinum sit dubito, eo difficilius videtur ad expediendum. Cui vero corrigendum hunc esse versum constat — neque mihi ipsi non constat —, illi unam tantum habeo emendandi rationem eamque haud ita probabilem: nimirum *ζῶντ'* fortasse deleri potest versusque totus hunc in modum immutari: *ἀναρπάσαντες* (sive *ζῶνθ' ἁρπάσαντες*) *εἰς μυχοὺς χθονὸς θεοί*. — Praeterea duo exempla in altera arsi adhibita extant, Andr. 750 et Herc. fur. 1228, quae corrupta esse probabiliter Rumpelius l. c. censuit: quibus adicere nolui Iph. Aul. 1034, versum aperte truncatum (cf. Kirchhoff. ad v.), quem cum non uno modo suppleri posse in propatulo sit [1]). pro certo habeo monosyllabum *θεοί* in tertia arsi exhibuisse (secus iudicavit Heimsoethius, qui restitui iussit: *εἰ δ' εἰσὶ θεοὶ σύ τοι δίκαιος ὢν ἀνὴρ κτλ.*) Atque quamquam cavendum est ne in talibus, qualis nostra est, disquisitionibus nimium indulgeamus arbitrio, ita ut certae cuidam regulae tribuamus, quod casui dandum vel consuetudini et mori nonnunquam deserto, tamen pro reliquis exemplis permultis duorum illorum numerus tam parvus atque exiguus est, ut iure in dubitationem vocari videantur. Quo accedit, quod alter locus aperte falso traditus est neque synizesis restituta nisi a recentiore

---

[1]) ceterum probabilius fortasse est, duas syllabas intercidisse inter vocabula *εἰσί* et *θεοί* quam principium versus mutilatum esse.

viro docto: Herc. enim fur. v. 1227 sq. codex Flor. sic exhibet:

ὅστις εὐγενὴς βροτῶν
φέρει τὰ τῶν θεῶν γε πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται.

Ubi cum nimium verborum numerum exstare vidisset, ut trimetri modum restitueret, Stiblinus τῶν articulum resecuit, quae coniectura recepta ab omnibus fere editoribus quo vitio laboret scimus. Duplex autem reiecta hac corrigendi ratione via patet neque, utra vero sit similior, statim diiudicaris. Aut enim, quod Rumpelius protulit, γε delendum est ita ut monosyllabum θεῶν retineatur, sed in tertia thesi adhibitum, aut, qui facile adici potuerunt, articuli τὰ τῶν removendi, γε tenendum, unde hic evadat versus: φέρει θεῶν γε πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται. Alterum vero versum, Andr. 750, bene puto correctum esse a Rumpelio transponente voces θεοί et σοί ita: ὦ πρέσβυ, σοὶ θεοὶ δοῖεν εὖ καὶ τοῖσι σοῖς: qualis transpositio in simillimis illis vocibus ΘΕΟΙ et COI nullam praebet offensionem. — Hactenus cum a Sophoclis usu in synizesi adhibenda nimium Euripides non recedat, in posterioribus ille fabulis eo progreditur, ut etiam θεός et θεόν formis, dummodo praecedant vocem a consonanti incipientem, pro monosyllabis utatur in trimetris (cf. Porson. ad Eurip. Orest. 393). Quae licentia inter eas fabulas, quae quo anno traditae sint scimus, primum apparet in Troadibus olymp. 91, 1 acta; universa autem haec eius sunt exempla: θεός Bacch. 47 (III ars.), 1347 (III ars.); Andr. 1258 (III ars.), Suppl. 331 (III thes.), Ion. 428 (III ars.); θεόν Troad. 948 (I ars.), Bacch. 1293 (III thes.), 1297 (III ars.), Cycl. 231 (III ars), de quo iam dictum. Quibus versibus non adiunxi (Danaës versum 34, frgm. 1117, sciens neglego) duos locos, alterum Orestis v. 399 alterum Herculis furentis v. 347, qui θεός vocem pyrrhichii mensuram aequantem in tertia thesi tali modo praebent, ut vocalis eam sequatur longa; neque enim hoc modo etiam duarum brevium syllabarum synizesin in medio versu adhibitam esse unquam a tragico persuadere mihi possum, immo rectissime iam Hermannus, quamquam θεός

monosyllabo apud Pind. Pyth. I. 56 nondum ausus est manus adferre, ita censuit (epit. doctr. metr. p. 54): «inveniuntur hae duae vocales (εο) ibi fere simul pronuntiatae, ubi positio syllabam longam facit.» Nihilque adtinet hac in re perquirere, utrum ipsa synizesis longam reddat vocalem (ita Kuehnerus in gramm. Gr. I. p. 181: «wenn zwei Kuerzen eine Kuerze geben, so haben wir keine Synizese, sondern Elision eines Vocals. Zwei Kuerzen mit Synizese geben stets Laenge») necne. Ceterum duo illi versus Euripidei etiam alias dubitationes moverunt. Neque enim Herc. fur. 347 quin recte damnatus sit ab Herrwerdeno et Dindorfio (Reiskii autem coniectura εἰ pro ἢ recepta nihil proficitur), equidem dubito et Orest. 398 sq.:

ΟΡ. λύπη μάλιστά γ' ἡ διαφθείρουσά με.
ΜΕ. δεινὴ γὰρ ἡ θεός, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος.

ἡ θεός vocabula genuina non esse Herwerdeno contendenti (ad Soph. Oed. R. p. 100) libenter adstipulor. Attamen quod ille scripsit δεινή γε νοῦσος propter ipsam formam νοῦσος a tragicis non usurpatam in trimetris vitiosum est, quamvis aperuerit fortasse rectam emendandi viam. Etenim vide an probabilis sit talis versus:

δεινὴ νόσος γάρ, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος.

Eodem modo de tristitia loquitur Euripides in fragmento 1064: οὐκ ἔστι λύπης ἄλλο φάρμακον κτλ. — ὅστις δὲ ταύτῃ τῇ νόσῳ ξυνὼν ἀνὴρ κτλ. — Postremo de Hel. 9 sq. pauca liceat addere. Qui cum in codicibus sic traditi essent:

Θεοκλύμενον ἄρσεν', ὅτι δὴ θεοὺς σέβων
βίον διήνεγκ', εὐγενῆ τε παρθένον

Nauckius, ademptis verbis ὅτι δὴ θεοὺς σέβων βίον διήνεγκ' reliqua ut trimetrum efficerent, synizesin primarum duarum syllabarum vocis Θεοκλύμενον statuit. At neque de verborum a Nauckio expunctorum fide tantopere dubitandum esse puto, ut utique ab Euripide ea abiudicari necesse sit, et eiusdem fabulae vv. 1168 et 1643 quodammodo tali vocis Θεοκλύμενος mensurae refragari videntur: praeter autem haec quomodo synizesin in prima thesi trimetri adhibitam possimus tueri, equidem ignoro.

Deinde ad masculini *θεός* exemplar etiam feminini *θεά* synizeses ab Euripide primo usurpantur neque ab hoc nisi in recentioribus demum fabulis, Troadibus, Andromacha, Electra, Iphigenia Taurica,. cuius tamen v. 270 (*Λευκοθέας* cf. Rumpel. Philol. XXIV. 407 sq.: «*Λευκοθέας* nach der Analogie von *θεός, θεά.*») huc pertinere ego non existumo. Invenimus igitur unius instar syllabae adhibita: *θεά* Troad. 932 (III thes.), Iphig. Taur, 1320 (III ars. *θεᾷ B*?), 1461 (III ars. *θεᾶς* libri: *θεά θ'* corr. Marklandus), — *θεᾶς* Androm. 20 (III ars.), 260 (III thes.). 311 (III ars.), Iph. Taur. 87 (III ars.), 980 (III ars.), 986 (V ars.), 1014 (III ars.), 1038 (III ars.), 1158 (III ars.), 1179 (III thes.), 1307 (III ars.), — *θεᾷ* Iph. Taur. 1419 (III ars. Badhamus *θεάν* recte, ut videtur), — *θεαί* Electr. 1270 (III thes.), — *θεαῖσι* Troad. 969 (I ars. potius *τοῖς θεοῖσι* cum Nauckio scribas), — *θεάς* Andr. 978 (III ars.), Iph. Taur. 299 (III ars.), quorum in prima arsi ambiguum unum (Troad. 969), quattuor in tertia thesi, tredecim in eadem arsi, unum denique (Iph. Taur. 986) in quinta arsi. Quod postremum cum non solum exemplo simili prorsus destitutum sit, sed etiam sola codicis alterius *B* nitatur auctoritate, iure suspectum videtur Rumpelio. Neque vero cum illo codex *C* quod tradit: *εἰ μὴ ληψόμεθα θεᾶς βρέτας* (*B ληψόμεσθα*) genuinum esse censeo, sed potius versum praefero talem: *εἰ μὴ λήψομαι θεᾶς βρέτας.* —

Sed ut finem faciamus vocabulorum *θεός, θεά* synizesi investigandae, superest, ut quam a Sophocle in trimetris semel tantum deseri videmus legem, eam scilicet, ut illam synizesin longa praecedat syllaba, quotiens Euripides neglexerit quotiens secutus sit inquiramus. Atque profecto ille quidem aliquanto maiorem in hac re exhibet licentiam; neque, si libris fides additur, solis in posterioris temporis fabulis brevis syllabae antecedentis exempla exstant. Verum tamen dubia res est in Alcest. versu 1125, de quo conferendus est Nauckius (Eurip. Stud. II., p. 84): cui nunc, quod Buechelerus olim mecum communicavit, vix dubito restituere: *ἢ κέρτομός μ' ἐκ θεοῦ τις ἐκπλήσσει χαρά* (similiter fortasse Ionis quoque

v. 958 scribas: *ἥ σ᾽ ἐμὴν ἐκ θεοῦ τις, ὦ ξένε, βλάβη*). Neque plane scio num Hec. 958 Hermannus recte correxerit: *φύρουσι δ᾽ αὐτὰ θεοί*, quamquam tradita verba *αἰθ᾽ οἱ θεοί* vix ferri poterunt. Contra recte videntur traditi Andr. 258, Electr. 764, Ion. 997, Cycl. 231, frgm. 132, 1, 781, 52 qui formas vocis *θεός* monosyllabas praebent antecedenti brevi syllaba; praeterea *θεά* vocis synizesin brevis anteit syllaba Iph. Taur. 87. 1014. 1307. 1461. —

Transeo ad genetivi *πόλεως* synizesin, quae, quamquam minus frequenter admissa quam vocis *θεός*, *θεά* synizesis, et ipsa e crebrioribus est. Eo autem praecipue ab aliis synizesis exemplis haec differt, ut in Aeschyli et Sophoclis, ita in Euripidis quoque fabulis, quod non solum in primo tertioque trimetri pede adhibitum sit, verum in omnibus eius promiscue pedibus solo tertio excepto, in quem propter caesuram inferri non facile potuit. Habemus igitur hanc synizesin in altero pede occupatam: Electr. 1024, in quarto: Alc. 553; Andr. 16, Suppl. 114. 1187, Cycl. 115; frgm. 284, 10, in quinto: Electr. 234, Heracl. 114; frgm. 362, 47, denique in sexto: Jon. 932. Quibus procul dubio adiungendus est Suppl. v. 481: *ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος ἐς ψῆφον πόλεως* ubi nescio quo iure plerique editores Stobaei, certe deterioris in talibus testis, *λεώ* in textum receperint, praesertim cum ipsius Stobaei codices fluctuent inter *λεώ* et *δορός* (sic cod. Paris. B). Minus fere certo iudicare licet de illis versibus, qui in primo pede exhibent *πόλεως*, velut Troad. 1164, Andr. 197, Electr. 835, Heracl. 512; frgm. 362, 16, 35 [1]); quos cum ad synizesin referat Rumpelius (Philol. XXIV. p. 407 sqq. adnot. 8), equidem dubitanter idem nescio an confirmem. — Nequaquam autem *πόλεως* disyllabum cum Nauckio restituendum est Phoen. 287 aut Bacch. 961 (cf. Mél. Gréco-Rom. tom. II. p. 313 adnot. 51); quamquam enim, quod ille contendit, verissimum est saepius inter se commutata esse *χθονός* et *πόλεως*

---

[1]) idem fragmento 1003 restitui vult Th. Gomperzius.

disyllabum a librariis, certe in Phoeniss. versu πύργωμα Θηβαίας χθονός mihi quidem aptiora fere videntur quam π. Θ. πόλεως, Bacch. autem versum infra probaturum me spero omnino non esse genuinum. Denique Herc. fur. 28 utrum recte Nauckius proposuerit: τῆς ἑπταπύργου τῆςδε δεσπόζων πόλεως an perperam, in medio relinquo. —

Deinde synizesin patiuntur ἄστεως Electr. 298, πήχεων Cycl. 391, Σάρδεων Bacch. 463, in tertia omnia trimetri thesi. —

Saepius synizesis usurpata est in genetivis substantivorum in εύς exeuntium: quorum est ἀριστέων Med. 5 (codd. ἀρίστων: correxit Wakefieldus ad Lucr. vol. 3. cf. Pors. ad. v.) et nomina propria Ἀχιλλέως: Troad. 273. 623; Andr. 25. 149. 212. 343. 971. 1069, Hec. 24. 523, Iph. Taur. 663, — Θησέως: Hipp. 10. 520; Suppl. 638. 642. 668. 697, — Ἐρεχθέως: Hipp. 1095, Jon. 10. — Εὐρυσθέως: Herc. fur. 614. 967. 989, — Μενοικέως: Herc. fur. 8, — Νηρέως: Orest. 364; Andr. 1257. 1274, — Ὀδυσσέως: Troad. 1225, Orest. 588 (nisi potius cum Dindorfio 588 590 interpolatori tribuendi sunt), — Οἰνέως: Phoen. 419, — Ὀρφέως: Iph. Aul. 1211, — Πενθέως: Bacch. 61. 320 (verum 319 — 320 genuinos vix esse Usenero auctore persuasum habeo). 442. 720. 1100. 1217. — Περσέως: Hel. 769, Herc. fur. 3, — Πηλέως: Troad. 1127; Andr. 79, — Πρωτέως: Hel. 64. 542. — Τυδέως: Suppl. 901. 1218, denique Φωκέων: Electr. 1287, Iph. Taur. 677. Praeterea a Rumpelio huc refertur Matthiaeum secuto vocis Ἀτρεύς genetivus, qui sexies in primo pede trimetri adhibitus legitur: Troad. 414, Orest. 16, Hel. 1078. 1592, Iph. Taur. 545. 812, semel in arsi secundi thesique tertii pedis: Iph. Taur. 918; α enim huius vocis duobus tantum locis, Orest. 15, Iph. Taur. 3 corripi, semel anceps esse Orest. 11. Verum ut taceam de voce Ἀτρείδης, α productum genetivus Ἀτρέως non praebet nisi in tribus tantum Euripidis trimetris, Hel. 1541. 1545, Iph. Taur. 3; deinde non praetermittendum, cum reliquorum synizesis in έως factae sive έων exemplorum, quae adtuli, triginta

quattuor cadant in tertium pedem, decem tantum in primum (tres illae vocis *Εὐρυσθέως* synizeses in quinto pede adhibitae prorsus singulares sunt: de quibus infra dicam), genetivi *Ἀτρέως* omnino alienam esse rationem, quippe cuius unum solum in tertio pede inveniatur exemplum, sex in primo. Denique, quod Rumpelius ipse alibi censuit, synizesis licentiam tenendum est rarius esse adhibitam a tragicis, saepius vitatam, cui solutionum usum, quoad fieri potuerit, probabile sit praeferri. Eodem igitur modo ut *Ἀτρέως* etiam *Ἀτρέα* Hel. 390 a synizesi abiudicaverim; neque, quam de *φονέα*, *γονέας*, *κυνέας* sim. protulit sententiam Rumpelius, meam facio. De *Ἀτρέα* autem aliisque huiusmodi accusativis in *έα* exeuntibus ut accuratum fieri possit iudicium, altius rem repetamus necesse erit. Quid quod de his ipsorum grammaticorum veterum non plane destituti sumus testimoniis. Quamquam, quod Gregor. Corinth. de dial. Att. p. 160. Schaef. et Gramm. Meermann. (ibid. p. 647) tradunt, proprium esse Atticae dialecti accusativos illos *διὰ τοῦ ῆ προφέρεσθαι*, *Ευρυσθέα Εὐρυσθῆ*, *Πηλέα Πηλῆ*, *Τυδέα Τυδῆ* probati illi quidem Dindorfio, qui Andr. 22 *Πηλῆ* scribendum proposuit, maioris momenti esse non puto, quamvis doctrina illorum nescio unde deprompta quodammodo confirmari videatur formis *ἱερῆ* et *ξυγγραφῆ* Eur. Alc. 25, Arist. Ach. 1150 in codicibus lectis. Summo enim consensu libri nostri exceptis duabus his substantivis ubique fere formas plenas per *έα* scriptas exhibent, quarum auctoritatem insuper auget gravis Suidae locus s. v. *Ἀτρέα*, cuius in fine haec leguntur: *Ἴωνες δὲ συστέλλουσι τὰς προτέρας Ἀτρέα καὶ Πηλέα βραχέως λέγοντες. διὸ καὶ παρὰ τοῖς τραγικοῖς οὐκ ἀναγκαῖον ἐκτείνειν, εἰ μὴ μέτρον ἀναγκάζει* (cf. Piers. ad Moer. p. 192). Quocum optime sane concinit, quod ultimam in *φονέα* ter corripuit Euripides, Hecub. 882, Electr. 599. 763, quorum de fide nemodum dubitavit (quem adposuit Seidler. ad Eurip. Electr. 594, Oed. Col. v. 1055, in eo verba *Θησέα καὶ* interpolata esse constat); accedunt his plures comicorum versus similiter instructi, quos congessere Pierson. l. c. et Porson. ad Eurip. Hec. 870. Praeter autem

tres illos versus nullus Euripidis trimeter invenitur, in quo alia vocabula huiusmodi, inprimis nomina propria, ita posita sint, ut *έα* syllabae pyrrhichium aequare necesse sit; immo cum saepius ultimam hi accusativi longam plenamque syllabarum *έα* mensuram retineant, alius modi sunt sex Euripidis loci hi: *Θησέα*: Herc. fur. 619, *Μενοικέα*: Phoen. 913, *Νηρέα*: Iph. Aul. 949, *Πενθέα*: Bacch. 1070, *Πηλέα*: Andr. 22, *Τυδέα*: Phoen. 1165, quibuscum coniungendi sunt Sophoclis versus duo supra memorati, Ai. 104, frgm. 444, 1, unus Rhesi 977, *Ἀχιλλέα*. Quorum versuum cum in quattuor syllabae *έα* primam exaequent trimetri arsin, ita ut de correpta ultima optime possis cogitare, in reliquis illae ante caesuram penthemimeren exstant, ut refutatis Gregorii commentis non iam nisi synizesis statui possit. Revera autem in talibus versibus, quales quattuor illi priores sunt, grammaticos Graecos, a quibus Suidas pendet, de correpta ultima cogitasse pro certo habeo — de reliquis versibus idem confirmare vix ausim —, nobis tamen nescio an ubique praerogenda sit synizesis, defensa illa quodammodo Homeri exemplo (cf. Herodian Il. XV. 187. Lobeck. l. c. II. p. 80), contra formae contractae, velut *Ἀχιλῆ*, *Ὀδυσσῆ* (Eurip. Electr. 439, Rhes. 708), quas Doricas esse adnotat Etym. M. p. 670, 7, solis melicis tragoediarum partibus tribuendae. Ceterum omnes illi trimetri tales exhibent voces, quarum syllabam finalem *εύς* longa praecedat paenultima; quo optime, quam Hermannus statuit, lex comprobatur, synizesin vitatam esse praecedenti brevi syllaba. Qua lege praeterea explicatur, quam in admittendis formis *ἱερῆ* et *φονέα* sibi Euripidis permisit, licentia; quas formas *ἱερέα* et *φονέα* ne per synizesin efferret, antepaenultima brevis prohibuit. —

Ὀστοῦν vocis prorsus eandem quam adiectivorum *χρύσεος* sim. esse condicionem in trimetris Gerthius contendit; contractam enim scribi, ubi duabus syllabis longis opus sit, distractam ubi cretico. Atque cum de Aeschyli frgm. 357 (*ὀστέων στέγαστρον*) non liqueat, Sophoclis quidem exemplum unicum, Trach. 769, nequaquam refragatur illius opinioni. In

Euripide autem reliquorumque tragicorum poëtarum fragmentis rem paulo aliter esse institutam sponte apparet. Nimirum apud Euripidem cum duae tantum illius vocis inveniantur formae, genetivus atque accusativus numeri pluralis, hic quidem semper contractus in codicibus legitur, *ὀστᾶ*, ter in trimetris (Herc. fur. 994, Suppl. 949. 1185), semel in systemate anapaestico, ille trisyllabus semper, sive cretici (trimetrorum sunt Med. 1217, Orest. 404, Suppl. 503. 1107, anapaestorum melicorum Hec. 1072) sive spondei (Med. 1200, Troad. 1177, Phoen. 1160) mensuram tenet. Deinde *ὀστῶν* legitur in frgm. adesp. 91; 3, quod tragici an comici sit poëtae dubium est (cf. Meinek. Com. IV. p. 613), in Choerili autem frgm. 2. Eustath. Il. p. 309, 43 *ὀστέοισιν* tradidit, quod in *ὀστοῖσιν* mutavit Nauckius. Quos locos postremos quo audacius est corrigere (etsi similis huius synizesis *ὀστέοισιν* ita adhibita in tertio pede vix indagatur), eo satius erit relicta Gerthii regula lectionem consensu codicum firmatam integram relinquere. Itaque etiam *ὀστέων* disyllabum synizesi affici existumo.

Νεοπτόλεμος vox, quam Sophocles iam quadrisyllabam extulit, apud Euripidem cum semel (Orest. 1655) plenam retineat mensuram, bis quadrisyllaba exstat ita ut in tertiam arsin synizesis syllabarum *εο* cadat: Andr. 14, Troad. 1126.

Restant iam complura nomina propria in *εως* finita, quae synizesin in diverbiis patiuntur: *Ἀμφιάρεω* Suppl. 158, *Μενέλεως* Orest. 18 (versus interpolatione inquinatus est in *C*), *Μενέλεων* Iph. Taur. 357 (libri *μενέλαον*: correxit Barnesius). Praeterea Helenae versui 131 in codice sic scripto: *κὰκ τοῦδε μενέλαον οὔτις εἶδ' ἀφίγμενον* Barnesius trisyllabum *Μενέλεων* recte reddidisse videtur: neque enim praestat omissa hac »contractione syllabarum dura parumque eleganti« Hermanni *Μενέλαόν τις* recipere, praesertim cum *Μενέλεων* trisyllabum quodammodo tueatur etiam Arist. Thesm. 901 a Kustero correctus. — Neque Iph. Aul. 506 non recte puto correctum a Barnesio: cuius emendatio multo certe magis placet quam si quis hunc in modum versum corrigeret: *αἰνῶ, Μενέλεώς, σ' ὅτι παρὰ γνώμην ἐμὴν κτλ.*

Vocabulorum *τειχέων* et *τευχέων* exempla per synizesin contracta quoniam supra exhibuimus, reliquorum, quae in libris leguntur, synizesis exemplorum fidem haud ita magnam esse restat ut paucis demonstremus. Missum autem hic facere statim possum disyllabum *ἡδέως* adhibitum a futilissimo exitus Iphigeniae Aulidensis conditore (v. 1596); neque est cur diu moremur in vocis *νεοχμός* synizesi a Rumpelio defensa. Inter reliquas autem huiusmodi synizeses, quam potissimum retinere studeas, alterius tertiaeque syllabae synizesis in *ἀνεῳγμένας* et *ἀνεῴχθη* (Hipp. 56, Ion. 1563. *ἀνώχθη* libri: corr. Matth.) traditae (nam libri deteriores quod Ion. 1563 *ἀνώχθη* tradunt, parvi est momenti), nescio an sic potius removenda sit, ut *ἀνῳγμένας* et *ἀνῴχθη* formas Euripidi tribuamus. Deinde *ἵλεως* disyllabum, quod Hel. 1007 traditum est, postquam Nauckio iam suspectum est visum, facile quidem possis tollere corrigens *πρόφρων* nec tamen recte: aut enim vehementer fallor aut vv. 1002—1008 inepti illi etiam propter finem a Blaydesio damnatum tantopere totius orationis ordinem sententiarumque nexum turbant, ut Euripidis esse vix possint. *Νεάνιδες* Iph. Aul. 615 supra iam commemoratum eandem ob causam neglegendum est. Aperte autem corruptus est Ionis v. 390, quod dudum intellectum; quem cum emendatum esse nondum credam, hoc unum persuasum mihi est, missis audacioribus tentaminibus, ut Kirchhoffii (*ἄλλως ἄρ' ἦν χρηστήρι' εἰ κτλ.*) et Nauckii (*ἀλλ' ὡς ἔδη * χρῇ κτλ.*) sententiam traditam quantumque fieri possit verba tradita esse retinenda (Wakefieldus, cui Hermannus et Dindorfius adstipulati sunt: *ἀλλ' οὖν ἐᾶν γε χρὴ τάδ'*). Varie tentatum est a viris doctis fragmentum Alopae 106 ab Ammonio de diff. v. p. 137 servatum neque tamen me iudice adhuc emendatum; neque enim Dindorfii *στείχονθ' ἑῷον* veri prae se fert speciem neque Nauckii *στείχονθ' ὁρῶμεν* (deletis vv. *ὁρῶ μέν* versus prioris), in quo pluralis numerus offendit, cum de choro, non a choro verba dicta esse pateat, neque denique novissima Weckleini coniectura (Mus. Rhen. XXVIII. p. 627) *ἄθυρον*. Quid autem pro his scribendum sit, equidem

nescio: erat cum de *θερμόν* (vel *θερμῶν*) cogitarem, quod parum probabile esse libentissime nunc concedo. Fragmenti autem 362 v. 7, ubi *ἣ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν* traditum est a Lycurgo c. Leocr. §. 100 et Plut. Mor. p. 604 D. vetere interpolatione depravatum esse pro certo habeo putoque me posse adfirmare; verba enim *πρῶτα μέν* cum per se molesta sint propter *πρῶτα μέν* v. 5 neque cui opponantur sequatur (nam *ὅστις δ' ἀπ' ἄλλης πόλεος κτλ.* non novam adferunt rem, sed cur *αὐτόχθονες* praestent *τῷ ἐπακτῷ λεῷ* explicant), aperte repetita sunt e versu altero priori, qualis vitii Euripidis fabularum superstitum exempla plura contulit L. a. Sybel. de repetit. verb. in fab. Eurip. *Πρῶτα μέν* vocabulis igitur deletis Buechelerus, quod ipse aliquando putaveram deinde rursus reieceram, *ἣ περ λεὼς μὲν οὐκ ἐπ.* scribendum esse me docuit. Ceterum quam hoc in fragmento recte, ni fallor, sustulimus vocis *λεώς* synizesin, eam temere non inferemus cum Weilio in Iph. Taur. v. 31 (traditur: *οὗ γῆς ἀνάσσει κτλ*; Weilius: »peut-être: *οὗ λεῷς ἀνάσσει βαρβάροισι*»). — Quibus remotis duo tantum relinquuntur exempla vocabuli *χρεών* monosyllabi, quorum alterum exstat in Temenidarum fragmento 733 sic tradito:

τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει,
κοινὸν δ' ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πάσχομεν
πάντες· τὸ γὰρ χρεὼν μεῖζον ἢ τὸ μὴ χρεών

alterum codices exhibent Iph. Taur. 1486:

αἰνῶ· τὸ γὰρ χρεὼν σοῦ τε καὶ θεῶν κρατεῖ.

Quae cum unica exstent in tanta exemplorum vocis *χρεών* nube, quamquam apud poëtas epicos monosyllabum invenitur *χρεών* (cf. Naek. ad Choerilum p. 161), vitiosa perite puto a Nauckio (Eurip. Stud. I. p. 8) habita esse; atque Iph. Taur. versum illum Nauckius ipse iure suspectum censuit, fragmenti autem versus posteriores collatis iis quae in Plutarchi Mor. p. 103 B. leguntur: *οὐκ ἔστι γὰρ ὅςτις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ* (Eurip. frgm. 662, 1) *καὶ νὴ Δία τό τοι χρεὼν οὐκ ἔστι μὴ χρεὼν ποιεῖν* tali modo emendandos suspicatus est:

πάντες δ' ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πάσχομεν,
τὸ γὰρ χρεὼν οὐκ ἔστι μὴ χρεὼν ποιεῖν.

Certe ingeniose haec sunt excogitata; at vereor ne nimium a vero aberrent. Nam et iusto maiore corrigendi audacia in his mihi quidem grassatus esse ille videtur, et, quae codices exhibent, *χρεών* monosyllabum si excipis, nescio an maiore corruptela omnino non sint affecta. Sensus enim videtur fuisse hic: mors omnibus hominibus communis est, si autem mors communis, tota sors eadem, tali enim modo »quod fatale est, plus valet quam quod non fatale» (Musgrav.). Quod si iure statuimus, eodem modo ut Dindorfius Iph. Taur. v. 1486 emendare studuit, (at de hoc versu magis Nauckii sententia placet), cum *χρεών* in *χρῆν* mutaret, nostro versui fortasse facillime succurrere possimus ita ut scribamus: *πάντες. τὸ γὰρ χρῆν μεῖζον ἢ τὸ μὴ χρεών* [1]). De forma enim *χρῆν*, loco usitatioris *χρεών* usurpata, recte iudicasse mihi videtur primus H. L. Ahrens., de cr. et aph. p. 6, cuius e sententia rarior est forma participii *χρεών* (e *χρὴ ὄν* nati mutatione Ionica Attica) orta rariore contractionis genere ut *πάρηρος* et *ξυνήν* e *παρήορος* et *ξυνήων* sive *πλεῖν* e *πλεῖον*; testatur quidem *χρῆν* apud Euripidem exstare Thom. Mag. s. v. *χρή* et Eustath. p. 1647, 37, apud Sophoclem et Euripidem Eustath. p. 751, 54. Neque in codicibus nostris forma *χρῆν* nunquam legitur; omnes enim codices praebent Hec. 260, ubi Scaligeri coniectura *χρεών* refutata iure Porsonus praetulit; praeterea etiam Herc. fur. 828, cum codex Florentinus habeat *χρή*, corrector apographi Parisini *χρή* in *χρῆν* in mutavit. Quibus duobus locis ut *τὸ χρή* legendum censeret, Nauckius eo est permotus, quod formam *χρῆν* non nisi Eustathii errori tribuendam existumavit [2]), cuius sententiae ne causam quidem

---

[1]) Nescio an haec coniectura magis probabilis esse videatur ea, quam Ottonem Hense nuperrime protulisse video (in Quaest. Stob. Act. soc. Lips. II, 1. p. 30): *τὸ δὲ χρέων μεῖζον ἢ τὸ μὴ χρεών.*

[2]) Eurip. Stud. II. p. 7: „Zu den Dichtungen gehört es, wenn Eustathius die Behauptung aufstellt, *χρῆν* sei auch Infinitivus, und zwar

exstare arbitror. — Quodsi in Temenidarum fragmento *τὸ χρῆν* restituimus, variae eiusdem vocabuli formae eodem versu eodemque enuntiato contentae non solum nullam praebent offensionem, sed fere amasse videtur Euripides tali modo variare (cf. Alc. 1105, Hec. 282 al. [1])).

Tetrametri Euripidis trochaici satis exiguum synizesis usum praebent. Atque saepius quam reliquorum vocabulorum vocabuli *θεός* formae synizesin passae unius instar syllabae adhibitae sunt, velut *θεοῦ* Ion. 520. 522. 532, *θεοί* Iph. Aul. 327, *θεῶν* Troad 451, *θεόν* (sequenti consonante) Ion. 1640; quarum ante caesuram *εἰς τέτταρας τροχαίους* positae sunt quattuor, post eandem duae. Phoenissarum autem v. 608, ubi scholiorum de vocibus *ὦ θεοί* positis *διὰ μέσου* ineptias nemo adoptabit, omni ex parte genuinum non esse iam constat inter viros doctos (»*ἀδικίᾳ γε σῇ* libri, *ἀδικίᾳ γ'* recentiores scilicet correcti sed videntur deesse nonnulla.» Kirchhoff.). Neque vero cum Hermanno, Dindorfio, Nauckio *ἀδικίᾳ γ' ὦ θεοί* scribendum puto, verum recte in ed. Burb. *ὦ θεοί* vocabula uncis inclusa existumo, eiecta a Grotio; falso enim Hermannus *ὦ θεοί* omitti non posse, ut sequentia ostendant, censet, quippe quod vv. 604—608 integram quasi colloquii partem ad eandem rem spectantem efficiant, cuius v. 608 vel omissis voculis *ὦ θεοί* aptissima gravissimaque sit clausula. — Genetivus *Ὀδυσσέως* synizesin patitur Troad. 444, ubi plerorumque codicum scriptura *ἐξαντίζω* vel *ἐξανθίζω* (B C b) nullius videtur momenti; corruptus autem in libris exstat Bacch. 606, cui Musgravius vocis *Πενθέως* synizesin intulit

---

ist es unsere Stelle (Hec. 260), welche diesen Irrthum veranlasst hat. Nur als Infinitivus aber würde, wie auch Porson urtheilte, *χρῆν* hier passend sein.'

[1]) Fortasse nimis audax non videtur si quis Herc. fur. quoque v. 284 hoc scribat *ἡμᾶς δ' ἐπειδὴ χρὴ θανεῖν θνήσκειν χρεών*, voce *δεῖ* glossatori tributa; certe frgm. 417 (de quo cf. L. a Sybel. l. c. p. 47) sic est redintegrandum:

ἐπίσταμαι δὲ πάνθ' ὅσ' εὐγενῆ πρέπει,
σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές,
ὁρᾶν θ' ἃ χρή με κοὐχ ὁρᾶν ἃ μὴ χρεών.

corrigendo: *διατινάξαντος τὰ Πενθέως δώματ᾽, ἀλλ᾽ ἀνίστατε* ipse Nauckium secutus v. 606 et 607 tamquam spurios prostituerim. — Denique ex nominibus alterius declinationis Atticae, quae vocatur, unum *Τυνδάρεων* per synizesin trisyllabum est Orest. 751. — Quod in libris legitur *πόλεως* disyllabum Orest. 730, mirandum sane est, versus illius fabulae 729—731 tamdiu criticorum acumina fefellisse; procul enim dubio Herwerdeno adstipulandum arbitror tres illos versus ut spurios nuperrime damnanti (cf. Herw. Mededeel. d. k. Ak. v. Wetensch. Afd. Letterk. II. 4: adnotat. crit. et exeget. ad Euripid.)

Transeo ad systemata anapaestorum legitima, quorum in numero etiam Hipp. 176—266, Med. 96—130. 139—147. 160—172. 184. 203 (praeterea Hec. 98—153) recensebo, qui versus in rebus quidem ad anapaestos lyricos propius accedant, formam autem et leges severiorum anapaestorum sequantur. Atque *θεός* quidem vocabuli formae monosyllabae hic inveniuntur: *θεῶν* Med. 1402, Hipp. 219 (utrobique in formula *πρὸς θεῶν*); Electr. 1234; fr. 623, 2; 836, 2; (Orest. 1683, quo tamen in versu *θεόν* potius est recipiendum), *θεοῖσι* Electr. 1328. *θεοί* monosyllabum, quod legitur Iph. Aul. 596, omittendum censeo: rectissime enim, cum de vv. 590—595 certius nequeat iudicari, totam, quae sequitur, chori partem G. Dindorfius (590—606 L. Dindorf. seclusit) damnat. Qua in parte quod praeterea exstat *νεωστί* disyllabum et ipsum neglegendum est, quamvis vel Lobeckio probatum (Path. Gr. serm. el. II. p. 94). Adiectivorum vero in *εος* finitorum, de quibus supra dictum est, haec exempla exstant cum synizesi pronuntianda: *χρυσέοις* Hec. 110 (de *χρῦσέοις* cogitari nequit) et *χαλκέοις* Troad. 573. Deinde habes synizesin vocis *βασιλέως* Alc. 241, Iph. Aul. 591 (nisi versus illi cum Dindorfio damnandi sunt); *ἀριστέως* Iph. Aul. 28 (sed totum huius fabulae exordium anapaesticum ab Euripide abiudico); *ἀριστέων* Alc. 921 (*ἀρίστων* codd. bene correxere Hermannus et Dobraeus); *Αἰγέως* Hipp. 1283, *Ἀχιλλέως* Troad. 575, *Θησέως* Suppl. 983, *Καπανέως* Suppl. 981. — Denique

restat τειχέων Iph. Aul. 15; at non Euripideos mihi videri huius fabulae vv. 1—48 identidem commemoravi.

Ad melica Euripidis carmina ut accedamus, vix opus erit praemonere, tales me neglecturum esse locos, ubi λέχεα similesque eius formae, quamvis contractas syllabas finales metrum requirat, per diaeresin distractae in codicibus exstent, etsi Dindorfius etiam nuperrime ad Hel. 1119 adnotaverit »λέχεα disyllabum, nisi λέχη scribendum.» Quas igitur omittam huiusmodi formas, earum et contractionem et diaeresin in canticis admissam fuisse persuasum habeo. Praeterea etiam, qui νεανίας vocem contractis primis syllabis exhibent, versus denuo hic afferre inutile duxi. — In synizesis autem exemplis enumerandis a vocis θεός (θεά) formis incipiamus. Itaque θεοῦ monosyllabum est Bacch. 84 (θεοῖς sive θεούς libri Strabonis), Ion. 231, (θεῷ nescio an recte suppleverit Nauckius Bacch. 66), θεοί Hec. 78; θεῶν Alc. 219 (antistropha a Dindorfio correcta videtur), 989, Hipp. 1268. 1358, Hec. 163 (θεός libri deterioris notae), Troad. 1073, 1217; (Andr. 859 pro ἀγαλμάτων Iacobsius ἄγαλμα θεῶν haud inepte coniecit), Electr. 198. 744, Suppl. 612, Iph. Aul. 1061. 1097, Ion. 180; frgm. 781, 19; θεοῖς Bacch. 544; θεοῖσιν Alc. 996; Ion. 132; θεόν Bacch. 100; Ion. 211. Praeterea θεόν monosyllabum in Bacch. v. 67 intulere Hermannus et Dindorfius a. m. II. cod. Flor. traditum illud quidem, quod tamen interpolatoris potius esse quam correctoris sponte apparet; quare cum Nauckio facio θεῶν omittenti atque in antistropha ὑμνήσω ut interpretis additamentum damnanti. Neque eiusdem fabulae versui 1031 θεόν monosyllabum recte tributum arbitror ab Hermanno et Hartungo, quorum hic ἄναξ ὦ Βρόμιε θεὸς φαίνει μέγας perversius fere quam ille et propter brevem syllabam vocem θεός praecedentem et propter synizesin in primum dochmii pedem intrusam. Dochmiacus autem cum versus videatur fuisse, Kirchhoffium et Nauckium secutis hac potissimum ratione emendem, ut priori dochmio vel ἄναξ Βρόμιε θεός vel Βρόμι᾽ ἄναξ θεός scripto posterioris vocem primariam intercidisse statuam nec tamen θεός ab Hermanno suppletum. —

Feminini *θεά* synizesin patiuntur hae formae: *θεά* Hel. 1349 (nisi, quod verisimilius puto, praestat cum Dindorfio *τε* praecedens delere); *θεᾶς* Troad. 541, Iph. Aul. 134. 1073. Phoen. 688; *θεᾷ* Troad. 599, (fortasse cum Hermanno in Andromachae hexametris transpositio verborum praeferenda est), *θεάν* Bacch. 420; *θεαί* Iph. Taur. 207 (Koechly: *συντείνουσι θεαί*). — In vocabulis a *θεός* derivatis certum ego synizesis exemplum deprehendere non potui: neque enim Electr. 732 quod Dindorfius adnotavit: »*θεοπύρῳ* trisyllabum quasi *θευπύρῳ* scriptum esset» opus erit pluribus refellere, quamquam versui illi an grave insit vitium nescio. Neque adferri poterit Phoen. 258: *καὶ τὸ θεόθεν*, cui respondet antistrophicus versus hic: *κοινὸν αἷμα κτλ.*; ubi etiamsi *καὶ τὸ θεόθεν* possis retinere, fortasse corrigas: *καὶ τὸ θεῖον*. — Deinde synizesis in genetivo *πόλεως* adhibita ter invenitur; Herc. fur. 782, Troad. 1217; frgm. 781, 24, quorum versuum in altero *πόλεος* corigere equidem vix ausim. Similiter *πελέκεως* quin anapaesti mensuram habeat Electr. 160, quamvis sanus non sit totus ille locus et strophae et antistrophae, non puto dubitari posse; dochmios enim esse vv. 143, 144, 160, 161, ut Seidlerus voluit, vix credas (cf. Hermann. el. doctr. m. p. 550). Ceterum et v. 160 et 161 pravis interpolatorum additamentis gravissime inquinatum esse persuasum habeo, inter quae et *τομᾶς σᾶς* et *βουλᾶς* relego; hoc igitur modo Euripidem scripsisse puto *πικρᾶς μὲν πελέκεως, πάτερ, πικρᾶς δ' ἐκ Τροΐας ὁδοῦ*, quibus respondeant versus strophae tales: *ἰακχάν, μέλος Ἀΐδα· κάτω γᾶς ἐνέπω γοούς*. — Aliquanto frequentior in genetivis nominum in *εύς* terminatorum synizesis est. Habemus enim *βασιλέως* frgm. 781, 27 (*ΒΑCΙΛΕΥC* cod. Clar. corr. Hermann.); *βασιλέων* Iph. Taur. 190 (dochmiacum esse versum mihi persuadere nequeo); *Ἀτρέως* Iph. Aul. 266 (sed vv. 231—302 iure damnarunt Hermannis et Dindorfius); *Ἀχιλλέως* Andr. 125; *Ἀχιλέως* Hec. 94 (*ἀχιλλέως* A B F c *C* emendatum in libris recentioribus); *Θησέως* Troad. 209. 219; *Καπανέως* Suppl. 999 (cf. Haupt.

Herm. VIII. p. 3); *Νηρέως* Iph. Aul. 1056 (*νηρῆος* a. m. II. *B* et *C*. Weilius synizesi spreta transposuit *γάμους Νηρέως*), (Hel. 1452 *Νηρέως* elegans sane Badhami coniectura est, nec tamen mihi adhuc prorsus probata), Iph. Taur. 217; *Οἰλέως* Iph. Aul. 193 (vv. 192—230 utrum damnandi sint cum Dindorfio necne dubito); *Πενθέως* Bacch. 373. 587. 595 (?); *Πηλέως* Iph. Aul. 1044. 1079 (aliter Weilius quem v.). Accusativus vero *Νιρέα*, qui exstat Iph. Aul. 205, cum Nauckio videtur corrigendus *Νιρῆ*. — Praeterea in genetivis numeri pluralis substantivorum in *ος* finitorum synizesis apparet his locis: *ἀλγέων* Alc. 890 (*ἀλγῶν* B, quod, cur Kirchhoffius in altera editione et Nauckius in textum receperint, ignoro. In *B C* versus a correctore fortasse metrico inquinatus est, ut recte Kirchhoffius censuit; falso autem huius coniecturam pro verissima habuit Dindorfius), Troad. 600 (verba [*ἔπι*] *λάθεται ἀλγέων*, quae interpolatoris manus experta esse Nauckius censet, quamvis corrupta sint cetera, genuina hexametri clausula esse videntur.), Suppl. 1149 (*δ'* inseruit Hermann.); *ἀνθεών* Med. 841; *ὀρέων* Andr. 849, Bacch. 1169 (sic codex Eurip.; *ὄρεος* Plutarch. quod rectius videtur); *τευχέων* Electr. 444 (nisi corruptus est versus), Ion. 146; *φαρέων* Phoen. 324 (dochmium restituit Dindorf. *δ'* inserto; at cf. Hermann. ad v., cui tamen minime adstipulor.) — *Ὀστέων* semel spondeum aequat in anapaestis solutis Hec. 1072, quem in versum contractam formam nemo intrudet; neque mutandum erit *χαλκεγχέων* Troad. 143. — Denique adiectivorum, quae dicuntur, contractorum satis crebra est synizesis: attamen talium tantum formarum esse videtur, quae vocali longa finiuntur, neque enim *χρύσεα* Troad. 1107 alia huiusmodi ad synizesin refero. Aliarum formarum hae leguntur: *χρυσέαν* Hec. 465; *χρυσέων* Hec. 925 (certe enim synizesin hic praefero quam neglecta accuratiore strophae et antistrophae responsione *χρῦσέων*; similis aliorum quoque locorum ratio est), Troad. 1074, Electr. 443, Ion. 146. 459 (*χρῦσέων*); *χρυσέαις* Ion. 192; (*χρυσέαισιν* c. syniz. nescio an Hel. 182 restituendum sit: ibi enim cum volgata interpolatoris metrici sit, prima manus

Flor. χρυσεαῖσιν αὐγαῖς tradit[1]), in antistropha μόλοιντ' ἔχουσαι λίβυν, τόν addidit metricus, at χρυσέαισιν c. gloss. συνίζησις Bacch. 97 omitto, quippe quod ionici sine dubio teneat mensuram); χρυσέους Ion. 909; χαλκέοις Suppl. 1151; πορφυρέων Orest. 1457. Minus autem certo iudicari potest de vocibus χρυσέαν et χρυσέας inter se respondentibus Electr. 706 et 719, quamquam etiam hic synizesin equidem praetulerim; itidem in χρυσέας Iph. Taur. 196. Contra δαιδαλέαισι Hec. 470 recte refutatum esse ab Hermanno vix est quod moneam. Neque compositorum vocabulorum, quorum prior pars a χρυσός sim. derivata est, ea adtinet hic proponere exempla, in quibus pro formis a χρυσο incipientibus librarii falso χρυσεο tradiderunt vitio pervolgato. — Sed pauci restant versus, in quibus synizesis aut falso tradita videtur aut perverse restituta a viris doctis. Quem ad modum Suppl. 273, cum tradita verba τέκνων τε θνατῶν minus recte Reiskius correxerit (τέκνων τεθνεώτων), recta sane videtur Heathii correctio τεθνώτων scribentis, de quo cf. Dindorf. ad v. Hermann. op. IV. p. 314. — Deinde quod Alc. 103 legitur in libris νεολαία ita ut correptam unam syllabam priores syllabae efficiant, id nemo iam genuinum esse credet; attamen probabilis emendatio non praesto est. Iusto enim audacius Hartungius proposuit οὐδ' ἐνὶ κρατί neque plus placet Dindorfii νεαλής. — Postremo Hipp. 365 aut cum Dindorfio scribendum est: τυράννου πάθη μέλεα θρευμένας aut strophae versu intacte relicto versus antistrophae corrigendus: tamen priorem illam probabiliorem puto viam. —

Euripides quemadmodum in nonnullis synizesis exemplis adhibendis sensim sensimque ad maiorem progrediatur licentiam, ita ut, quo quaeque posteriore tempore fabula acta sit, eo plus sibi indulgeat, ubi de formis θεός et θεόν et feminini θεά formis retulimus, paucis iam adstrinximus; hic de eadem re adicere quaedam mihi liceat. Quid quod syllabarum εω,

---

[1]) secundum cod. Flor. collationem ab U. de Wilamovitz-Moell. confectam, qua uti mihi licuit.

εᾳ synizesis (θεῷ, θεᾷ), quippe quae paulo durior difficiliorque pronuntiatu videatur fuisse, cum ab Aeschylo nusquam, ab Sophocle semel in carmine Oedipi Colonei usurpata sit, apud Euripidem non invenitur nisi in recentioris, ut videtur, aetatis fabulis tribus, Supplicibus, Iphigenia Taurica, Jone. Praeterea genetivi nominum propriorum in εύς exeuntium per synizesin contracti nondum exstant in antiquissimis fabulis, Alcestide et Medea; quamquam habemus in illius fabulae anapaestis βασιλέων et ἀριστέων trisyllaba, quae aliter metro non potuerunt adaptari, in huius trimetris unum ἀριστέων. Neque accusativi horum substantivorum, si quidem recte synizesin illos pati statuimus, ea afficiuntur nisi in quinque posterioris temporis fabulis, Iphigenia Aulidensi, Bacchis, Andromacha, Hercule furente, Phoenissis. In universum autem progressum quendam perspectum iri spero, si, quantus in singulis tragoediis synizesis usus exstet, breviter adnotaverim. Qua in re summum fortasse momentum vocabulorum θεός, θεά synizesi tribuendum est, quippe quae cum aliorum vocabulorum synizeses plus minus metri quadam necessitate provocatae videantur, praesertim in trimetris facillime potuerit evitari. Atque quo certius fiat iudicium, eas praeponam fabulas, quae, quo tempore actae sint scriptaeque videantur, disertis antiquitatis testimoniis constet. Exstant igitur synizesis exempla:

	in trimetris:	in anap. leg.:	in canticis:	
Alcest. (ol. 85,2):	3	2 (1)	4 (3)	= 9
	(vocis θεός 2, πόλεως 1)		(vocis θεός 3)	
Med. (ol. 87,1):	7 (6)	1	1	= 9
	(vocis θεός 5)	(vocis θεός)		
Hippol. (ol. 87,4):	11 (12)	2	2	= 15
	(vocis θεός 8)	(vocis θεός 1)	(vocis θεός)	
Troad. (ol. 91,1):	14	2	9	= 27
	(vocis θεός 7)		(vocis θεός 4, πόλεως 1)	
	in tetram.: 2 (vocis θεός 1)			
Helen. (ol. 91,4):	17	—	1	= 18
	(vocis θεός 13)		(vocis θεός)	

Orest. (ol. 92,4):	11 (12)	—	1	= 13
	(vocis θεός 8 [9])			
in tetram.: 1 (2) (vocis θεός 1, πόλεως — [1])				
Iph. Aul.:	4 (6)	1 (5)	8 (9)	= 14
	(vocis θεός 1)	(vocis θεός — [1])	(vocis θεός 4)	
in tetram.: 1 (vocis θεός)				
Bacch.	15	—	8	= 23
	(vocis θεός 6)		(vocis θεός 4)	
in tetram.: — (1)				

Quos numeros qui inspexerit, statim ei adparebit, similiter atque in recentiore Sophoclearum fabularum parte in Euripideis quoque synizesis licentiam inde ab antiquioribus ad recentiores usque quodammodo increvisse: etenim quamvis praecipue inter posteriores singulas fabulas non eiusmodi in hac re intercedat discrimen, ut certus quidam progressus oculis obversetur, tamen fabulas post Medeam actas aliquanto maiorem quam priores, Alcestidem et Medeam, exemplorum numerum exhibere primo obtutu elucet. Tamen huic exemplorum numero tantum tribui non posse in propatulo est, ut in eis fabulis, quae quo tempore actae sint nescimus, simili modo atque metrorum severitas aut neglegentia, solutiones in trimetris admissae aliaque huius modi ad tempus ordinemque definienda multum conferre putentur. At ne in talibus quidem disquisitionibus synizesin prorsus omitti posse cum persuasum mihi sit, praeter eas, quas supra recensuimus fabulas, etiam reliquarum synizesis usum brevissime adumbrare licebit. Itaque leguntur synizesis exempla:

	in trimetris:	in anap. syst.:	in canticis:	
Androm.	23 (24)	—	2	= 25
	(vocis θεός 10 [11], πόλεως 1)			
Hecub.	6	1	6	= 13
	(vocis θεός 4)		(vocis θεός 2)	
Electr.	12	2	7	= 21
	(vocis θεός 7, πόλεως 2)	(vocis θεός)	(vocis θεός 2)	
Heracl.	4	—	—	= 4
	(vocis θεός 3, πόλεως 1)			

Herc. fur.	12 (13)	—	1 = 13
(vocis ϑεός 6 [7])			(vocis πόλεως)
Suppl.	18 (19)	2	4 = 24
(vocis ϑεός 8 [9], πόλεως 3)			(vocis ϑεός 1)
Iph. Taur.	25 (27)	—	4 = 29
(vocis ϑεός 22 [23])			(vocis ϑεός 1)
Jon.	11 (13)	—	9 = 24
(vocis ϑεός 9, πόλεως 1)			(vocis ϑεός 4)
in tetram.: 4 (vocis ϑεός)			
Cyclop.	6	—	— = 6
(vocis ϑεός 4, πόλεας 1)			
Phoeniss.	10	—	2 = 12
(vocis ϑεός 6)			(vocis ϑεός 1)
in tetram. — (1) (vocis ϑεός).			

Quas fabulas singulas si tali nunc modo pertractare vellem, ut, quo quaeque tempore acta videretur, accuratius perquirerem, neque nimium fortasse proficerem et iustos fines merito viderer excedere: quam ob causam satis habeo, hos indices proposuisse, aliis usum eorum relicturus. —

4.

Rhesum tragoediam seorsim malui tractare, quam inter genuinas Euripidis fabulas, praesertim cum in synizesi quoque adhibenda, quamquam nimium ab illis exemplaribus non secedat, discrimen quoddam exstare sua sponte appareat. In trimetris igitur huius fabulae, cum vocis ϑεός una sola forma ϑεοῖς semel synizesin patiatur v. 476 in tertia arsi, creberrima illa est in genetivis nominum propriorum in εύς exeuntium; quorum cum synizesi pronuntianda exstant: Ἀχιλλέως: 182. 491. 601; Ἰλέως: 175 (οἰλέως *ABC*); Τυδέως: 222; Ὀδυσσέως: 704. 722 (in chori trimetris); praeterea etiam v. 861 Ὀδυσσέως probabiliter Fixius scripsit. Deinde trisyllaba est vox Ἀχιλλέα 979, ἀριστέας 479 (ἀριστείας B ἀριστέας [C] ἀριστεῖς bc ἀριστέας *AB* [*C*]), nisi cum Brunckio

rectius scribatur ἀγιστής. Αἰνέας bisyllabum est 85, Αἰνέα 90, Αἰνέαν 585. Difficilius autem est ad diiudicandum, utrum v. 882 Valckenaerius recte λεωφόρ υς (λεωφόρου Kirchhoff.) tribuerit necne; qua de re mihi quidem adhuc non prorsus constat. — In anapaesticis systematis unum βασιλέως trisyllabum invenitur v. 2; certe enim, de qua cogitare possis, synizesis in voce νεόδμητον facta etsi non omni exemplari destituta (cf. Νεοπτόλεμος) probabilitatis specie caret. — In melicis vero Rhesi partibus exceptis duobus illis trimetris, qui trisyllabum exhibent Ὀδυσσέως (704. 722), quantum equidem vidi, omnino nullum synizesis cernitur vestigium. Quae res magni profecto esset aestimanda, nisi etiam in Euripidis fabulis pluribus carmina multo parciorem synizesis exemplorum numerum exhiberent quam diverbia, illum quidem in modum, ut Heraclidarum partes melicae (in Cyclope enim nescio an dramatis satyrici proprietati idem sit tribuendum) ne unum quidem habeant exemplum, aliarum fabularum nonnullarum duo triave.

De minorum poëtarum tragicorum fragmentis paucissima sufficient. Quorum cum pleraque synizesis exempla occasione oblata supra memoraverimus, velut ἀνθέων Chaerem. fr. 10, ὀστέοισιν Choeril. fr. 2 sim., e trimetris quidem adponenda sunt haece: θεοῦ frgm. adesp. 397. (γ' post θεοῦ inseruit Wagnerus, Nauckius: «fortasse θεῶν ἐφιέντων praestat»), Ἀχιλλέως frgm. adesp. 295. Jonis vero in fragmento 21 probabilius mihi videtur ὀρτήν cum Dindorfio reponere quam synizesin primae et alterius syllabae vocis ἑορτήν traditae agnoscere. Aperte autem corruptus est Moschionis versus, frgm. 7, 13: ἀλλ' ἦν ἀκύμων κωφεύουσα ῥέουσα γῆ, ubi eleganter nec tamen probabiliter Meinekius κωφὰ χηρεύουσα, Heerenius κωφά τ' ἐκφέρουσα, alii alia. Denique canticorum in partibus, quae servantur, quantum ego cognovi, nulla synizesis exempla obviam fiunt.

5.

Habes iam quae de singulis synizesis exemplis a poëtis tragicis Graecis usurpatis in promptu mihi erant. Operae autem vix pretium suscepturus viderer, si, quod illis perlustratis sponte apparet atque elucet, fusius hic expositurus essem, quibus omnino in vocabulis formisque synizesis usus inveniatur; vel hoc silentio tegere possim praeter unius vocis *θεός*, *θεά* formas atque unum alterumve exemplum metri necessitate procreatum eam fere non fuisse admissam nisi in terminationibus vocabulorum, quarum prior syllaba *ε* literam exhiberet. Restat vero iam commentationis pars haud ita levis, quae quamvis identidem paucis supra perstricta verbis hic fusius integra erit exponenda: illam dico quaestionem, qualis inter synizesis usum et metri rationes intercedat conexus numque probabile omnino sit extitisse huiusmodi conexum. Qua in re cum rectissime a Rumpelio nonnulla sint observata, tota disquisitio nondum absoluta est et ad finem perducta; quamobrem ne acta videar agere non vereor denuo in illam rem inquisiturus. Neque tamen certos ultra fines progredi expediet, immo, quo magis abstineamus a libidinis luxuriantis ludibriis quoque firmius paretur fundamentum, solos trimetros accuratius examinare utilissimum existumo. Ubi nescio an recte initium ceperit Rumpelius ab unica voce disyllaba, quae cum synizesi in diverbiis pronuntianda exstat, *θεός*, *θεά* (neque enim monosyllabi vocabuli *ἔα* Sophóclei hoc loco iure puto rationem posse haberi). Huius igitur vocabuli cum synizesi efferendi formas solis dativis *θεοῖσι(ν)*, *θεαῖσι(ν)* exceptis in novem trimetri locis diversis adhiberi potuisse patet (1⏒ 2– ⏑ 3– 4⏒ 5– ⏑ 6– 7⏒ 8– ⏑ 9–), re autem vera trium tragicorum exempla hunc fere in modum inter singulos pedes distributa sunt, ut exstent:

	apud Aeschyl.:	apud Sophocl.:	apud Eurip.:
in I. thesi:	—	—	1
in I. arsi:	1	12	32
in II. arsi:	—	—	3

	apud Aeschyl.:	apud Sophocl.:	apud Eurip.:
in III. thesi:	—	8	44
in III. arsi:	(2)	6	66
in V. arsi:	—	—	1

Quae cum ita sint, vocis θεός, θεά synizeses admissas fuisse tantum in prima arsi tertiaque thesi et arsi, quinque autem exempla aliena ab hac lege, praesertim cum ex parte quidem etiam alias ab causas dubitationes moveant, utique esse damnanda atque eliminanda supra exposui neque huius sententiae causas a quoquam iam puto desiderari. Talis autem lex unde originem traxerit quoque nitatur fundamento, priusquam alia synizesis exempla intuiti simus, parumper in medio relinquamus. Itaque eorum vocabulorum, quae per synizesin disyllaba aut trisyllaba aut quadrisyllaba fiunt, ut inprimis ea respiciamus, in quibus syllabas per synizesin coartatas brevis anteeat syllaba, horum prorsus alia videtur condicio esse quam synizesis in voce θέος, θεά factae. Nam si ex illorum numero omnes eas excludimus voces anapaesticas, quae in primo leguntur pede, tamquam dubias, praeterea πορφυρέᾳ illud Aeschyleum et si quod aliud exemplum non positum est extra dubitationem, gravissima profecto est vocis πόλεως synizesis, cuius exempla leguntur:

	Aeschylea:	Sophoclea:	Euripidea:
in II. pede:	2	1	1
in IV. pede:	6	1	6
in V. pede:	4	—	3
in VI. pede:	4	6	2

Exstat igitur haec synizesis omisso primo pede in omnibus trimetri pedibus praeter unum tertium, in quo propter caesuram eam esse vitatam vix est cur moneam [1]); quod vero

---

[1]) praeterea cf. Rumpel. l. c. p. 250: ‚Ausserdem liebten die tragiker überhaupt nicht ein zweisilbiges wort mit iambischer messung im dritten fuss. Man findet im ganzen nur 241 derartige trimeter (148 bei Aeschylus, 94 bei Sophocles, 99 bei Euripides), und da in 108 von diesen elidirte wörter zur verwendung kommen, so bleiben nur 133 übrig, in welchen der dritte fuss aus einem vollständigen iambischen worte besteht'.

in quarto et sexto pede in universum quidem plura inveniuntur exempla quam in quinto, id magis fortuito factum quam cum Rumpelio certae cuidam causae tribuendum mihi videtur. Deinde similis aliorum quoque vocabulorum ratio est, quorum synizesin brevis antecedit syllaba. Quorum *φονέως* semel in quarto exstat pede, *Ἀμφιάρεως*, *Ἀμφιάρεω*, cuius synizesis quattuor diversis modis adhiberi potuit, ita ut bis in quartam semel in quintam arsin synizesis cadat, *Μενέλεως*, *Μενέλεων*, quibus uti licuit sex modis (⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –), bis in primo pede, bis tali ratione, ut synizesis in tertiam thesin quadret. Quibus in vocibus, quantum quidem nobis iudicare licet, cum nulla aut perparva metri ratio sit habita, ad vocabuli *θεός* exemplar propius accedunt omnia fere alius modi exempla, talia scilicet, quae aut creticum efficiunt aut cretico finiuntur. Atque creticum quidem quae efficiunt, qualia sunt *Αἰγέως*, *τειχέων* sim., cum synizesi spondei mensuram adrogent, per se tres facile trimetri locos occupare possunt: nimirum cum a tertio pede propter caesuram quodammodo excludantur, ab arsi quarti quintique thesi propter pausam, quae dicitur, Personianam, patent illis et primus et quintus pes et secunda pedis arsis thesisque tertii. At horum locorum revera non occupant nisi duos: primum (in quo apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem circiter 22 exempla exstant) et supremum (in quo exempla 27 inveniuntur), altero nusquam utuntur. Quibus vocibus accedunt vocabula talem aequantes mensuram qualem *Ὀδυσσέως*, *Ἀχιλλέως*; quae cum synizesi efferenda (⏑ – – –) tantum ante caesuram penthemimeren potuerunt adhiberi, quippe quod quinti pedis thesis longam in tali vocabulo syllabam respueret. Denique, si omittimus omnes voces ambiguas, restant solae voces *Νεοπτόλεμος* et *Πυρυστέως*; quarum illa ter ita ut in tertiam arsin cadat synizesis legitur, semel ut in eandem thesin, haec, cum duplici fortasse modo trimetro adaptari potuerit (⏑ – ⏑ – ⏑‿– ⏑ – ⏑‿– ⏑ –), in tertio pede propter caesuram nusquam inveniri facile intellegitur. Iam quae his e rebus possint concludi circumspiciamus. Atque

quo magis vocis *θεός* synizeses vitatas esse videmus praecedenti syllaba brevi, eo maiore cum facilitate synizesin pronuntiari adparet potuisse, cum eiusdem vocabuli anteiret syllaba correpta; quam ob causam talibus in vocabulis, certe in voce *πόλεως*, praeterquam quod haec non intrabat pedem tertium, metri ratio haberetur vix, ut videtur, necesse fuit. Contra in vocabulis trisyllabis vel quadrisyllabis, ubi syllaba producta anteibat, similiter atque in voce *θεός*, etiamsi e vocabulorum *Ὀδυσσέως*, *Ἀχιλλέως* sim. synizesi nihil fere effici possit, *Εὐρυσθέως* autem trisyllabum prorsus singulare sit aliorumque eiusdem modi vocabulorem analogia destitutum, metri ita videtur ratio habita, ut tantum in prima arsi et tertia thesi arsique eorum synizesis admitteretur. Porro horum vocabulorum prorsus similis est condicio atque vocis *Νεοπτόλεμος*. Qualis lex unde orta sit si quaerimus, primo apertum est obtutu, huiusmodi synizeses solas tales sedes occupare, quae aut maiore utantur libertate aut versus rationibus quodammodo pressae sint atque promineant, ita ut rhythmi vi atque impetu pronuntiandi difficultates facilius removeantur atque eliminentur, quas inter difficultates synizesin esse referendam neminem puto negaturum. Atque in tertio quidem pede quod vocis *θεός* eiusque similium usurpantur synizeses, unice caesurae deberi, id confirmatum iri puto conlatis tetrametris trochaicis. Exceptis enim, quae Bacch. 606, Orest. 730, Phoen. 608 perverse tradi diximus synizesis exemplis, omnes quae in his tetrametris leguntur synizesis inter diversos pedes tali modo distributae sunt, ut in prima arsi exstet unum exemplum Aeschyleum, in altera unum Sophocleum, unum Euripideum, in quarta thesi h. e. ante caesuram principalem quinque Euripidis exempla, post eandem caesuram unum Aeschyli duo Euripidis ($\overset{1}{-} \smile \overset{2}{-} \smile - \smile - \overset{5}{\smile} \overset{3}{-} \smile - \smile - \smile -$). Itaque hic quoque, etsi perparvus est exemplorum numerus, pleraque inveniuntur in iis locis qui caesurae vi gravitatem quandam accepere. Similiter, quantum quidem enucleare licebit paucissimis exemplis servatis, in aliis quoque metris tale inter versum et synizesis usum intercedere vinculum probatum iri spero, ut

solis in illis locis synizesin admitti adpareat, qui versus rationibus pressi facillime illam licentiam superare possint. Verum haec metra singillatim pertractare meum non est; immo satis habeo hic pauca de illis significasse. Velut in dochmiis cum haud ita parvus synizesis exemplorum numerus adpareat, in suprema arsi multo plurima exstant, Aeschylea quidem quinque apud Euripidem quattuor; primum locum in uno tantum Aeschylis versu synizesis tenet (Sept. 158: ἐπαλ|ξέων, tertium semel apud eundem (Suppl. 480). Quibus exemplis si adponere licet etiam νεανίας trisyllabum ab Euripide factum, illud quidem invenitur bis terve in altera arsi adhibitum. Pariter nescio an in anapaesticis quoque systematis certa statui possit lex certaeque sedes ab synizesis exemplis occupatae. Nam ut ordiamur de Euripide, quippe qui plurima exhibeat exempla, eorum quae libri tradiderunt quindecim ita parata sunt ut in arsin (_ ⏑́ vel ⏑ ⏑ ⏑́) quadret synizesis, duo vel tria, ut in syllabam pedis initialem: horum autem ex numero spurii videntur duo versus, Iphig. Aul. 596 et 602, alter insuper corruptus, in tertio vero (Orest. 1683) nonnullorum codicum scriptura θεόν certe praeferenda est cum Dindorfio [1]). Quam rem cum facile quispiam eo possit explicare, quod ipsa vocabula cum synizesi pronuntianda talem flagitasse positionem contendat, ei ferme adstipulari possumus in talibus vocabulis, qualia sunt βασιλέως, Θησέως sim., verum alia certe in voce θεός res est, cuius non minus quattuor exstant exempla. Similiter autem atque Euripidis exempla ad unum fere omnia Aeschyli quae exstant tria instructa sunt, qui quod exhibet tertium, dummodo genuinum sit, id in fine paroemiaci legitur (ἐκπνέων: Agam. 1493). Neque aliena sunt ab eadem ratione Sophoclis exempla septem, quorum in numero duo vocis θεός; obstant vero duo tantum, Κρέων

---

[1]) Omisi hic quae in fragmentis Euripideis leguntur exempla duo, quorum alterum 836, 2 concinit cum quindecim servatarum fabularum exemplis, alterum 623, 2 pugnat neque tamen reprehendendi praebet ansam.

alterum Antig. 156, procul dubio me quidem iudice spurium, de quo satis iam dictum est, alterum *θεῶν* Philoct. 196 quod et ipsum ne falsum sit vereor. Nam cum libri ibi tradant: *οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ θεῶν του μελέτῃ*, volgata scriptura: *οὐκ ἔσθ' ὡς οὐ θεῶν του μελέτῃ* soli Porsoni coniecturae debetur; verum nescio an gravius in hoc versu vitium latere putandum sit.

Sed haec hactenus. Hoc certe demonstrasse mihi videor, synizesis licentiam, cum et metri severitati aliquantum adversaretur et pronuntiandi pararet difficultates, apud tragicos quidem poëtas talibus circumscriptam fuisse terminis, ut in summa tantum illi versuum loci, qui gravitate quadam insignes ictuque quodam praediti essent, ei recipiendae aptae essent.

II.

De locis nonnullis Euripideis.

1.

Alc. 533. *ΑΔ.* ὀθνεῖος, ἄλλως δ' ἦν ἀναγκαία δόμοις.

Versum quem proposui cum plerique fere editores ita ut codices exhibent sanum esse censuerint, pro sano equidem vix puto haberi posse; recteque mihi Blomfieldus et Nauckius in verbis ἄλλως δ' haesitasse videntur. Quorum prior ut versum emendaret quae proposuit: ἀλλ' ὡς vel ἀλλ' ὧδ', eorum neutrum ne traditis quidem ἄλλως δ' multum praestare persuasum habeo; posterior autem suspectam dixit vocem ἄλλως emendatione non tentata. Sed ut ad ea quae in codicibus leguntur verba iam accedamus, nihil aliud, aliquem ut praebeant sensum, ea possunt significare nisi hoc, quod etiam Matthiaeus collato v. 333 voluisse videtur: «συγγενής quidem non fuit, sed aliter ἀναγκαία δόμοις'«; certe vocabula ἄλλως δ' non possunt posita esse pro simplici ἀλλά sive δέ [1]). Num vero Matthiaei illa explicatio omnibus numeris sit absoluta, non una tantum exstat causa ex qua dubitem. Neque enim satis placere videtur illud δόμοις prorsus nude positum nulla accuratiore adiecta definitione, neque ipsam illam rem, de qua

---

[1]) quamobrem minus accurata est Hartungi interpretatio: ‚ein fremdes, doch dem Hause eng verbundenes'.

a Matthiaeo est cogitatum, apte hic proferri potuisse existumo. Nam per totam hanc fabulae scaenam aperte Admetus ut luctus magnitudinem Herculem celet, et ambiguitate quadam utitur dicendi et ubicunque ipsa res ei adtingenda est, quantum potest, parvam levemque illam reddere studet; quare verisimile non est, illum hoc uno versu aliter versari, praecipue cum versus 535 omnino diversam ab hodierna v. 533 specie speciem prae se ferat. Praeterea ipsum illud quod Hercules respondit: *πῶς οὖν ἐν οἴκοις σοῖσιν ὤλεσεν βίον* demonstrare videtur, Admetum nihil ante dixisse nisi hoc, mulierem mortuam genere se non attigisse. Verba autem *ἐν οἴκοις σοῖσιν* tummodo bene sese habent, si aliud praecessit verbum cui *σοῖσιν* illud opponeretur. Quas ab causas, si quid video, versus tali modo emendandus est:

ὀθνεῖος, ἄλλοις δ' ἦν ἀναγκαία δόμοις.

2.

Bacch. 215 sq. *ἔκδημος ὢν μὲν τῆςδ' ἐτύγχανον χθονός,*
κλύω δὲ νεοχμὰ τήνδ' ἀνὰ πτόλιν κακά,
γυναῖκας ἡμῖν κτλ.

Primi hi longioris Penthei orationis versus, quamquam non uno tantum nomine gravissimas in iis inesse offensiones persuasum mihi est, nullum adhuc editorem offenderunt, praeterquam quod unus Nauckius pro voce *χθονός* 215 *πόλεως* potius scribi existumavit; quin etiam nuper Pfanderus in commentatione de Euripidis Bacchis non solum omnia sana ratus est sed etiam ex uno v. 215 perversissime conclusit, Penthei qui ageret personam histrionem non regia veste indutum in scaenam hic prodiisse sed vestitu itineri accommodato, quo minus abhorreret ab hac priore eius specie posterior a Baccho in furorem impulsi. Quibus missis ipse iam causas exponam, quae ut de versuum 215 sq. fide dubitem me permoveant.

At taceam hoc omnino non bene institutum videri quod verba prioris versus τῆςδε χθονός statim sequantur in altero verba τήνδ' ἀνὰ πτόλιν, quam repetitionem, etiamsi levioris sit momenti, molestam quodammodo esse puto; molestior etiam fieret, si πόλεως cum Nauckio restitueremus. Qua re gravius mihi videtur quod tota versuum 215 et 216 structura verborum non ita sese habet ut satisfacere possit. Quid quod haud apte vel ne recte quidem haec duo enuntiata inter se opponuntur particulis μέν et δέ adiectis, prius quidem ἔκδημος ὢν ἐτύγχανον, alterum κλύω νεοχμὰ κακά; immo si ἔκδημος ὢν κτλ. praecedit, notionem quandam illis oppositam expectes qualis est πάρειμι sive ἥκω. Quo accedit, quod in tota Baccharum fabula praeter hunc locum ne uno quidem verbo commemoratur, Pentheum ἔκδημον fuisse; atque, quod gravissimum puto, ne Cadmus quidem in iis versibus, quibus Penthei adventum demonstrat, 212 sqq., eius absentiam memorat aut significat. Praeterea ipsius quoque tragoediae progressus non efficit, ut Penthei absentiam pro verisimili habeamus; certe quidem ea quae Pentheus tamquam νεοχμὰ κακά pronuntiat, neque Tiresiae neque Cadmo antea sunt nota, qui mulierum furoris bacchici mentionem non faciunt (cf. v. 195 sq.) et ipsa Bacchi vis ipseque eius impetus belle eo depingi potuerunt, quod mulieres tanta cum celeritate atque furore urbem deseruisse poëta finxit, ut ipsum regem initio laterent. Sed restat adhuc quo versus 115 auctoritas gravissime infringatur. In Hippolyto enim de Theseo absente nutrix haec dicit (v. 281):

ἔκδημος ὢν γὰρ τῆςδε τυγχάνει χθονός,

ibique quin rectissime hic versus sese habeat non est qui possit dubitare. Ceteras autem de versibus 215 sq. Baccharum quas supra exposuimus dubitationes si respicis, quid fit verisimilius quam versum 215 non ipsius esse Euripidis, sed ab histrione quodam vel interpolatore profectum, qui Hippolyti versum quae mutari opus erat mutatis in Baccharum contextum intruserit? Scribendum igitur censeo orationis initium hoc vel simili modo:

κλύω νεοχμὰ τήνδ' ἀνὰ πτόλιν κακά
γυναῖκας ἡμῖν κτλ.

aut servata tota v. 216 lectione tradita unum vel plures versus antea intercidisse statuendum.

3.

Bacch. 358 sq. *ὦ σχέτλι' ὡς οὐκ οἶσθα ποῦ ποτ' εἶ λόγων*
μέμηνας ἤδη καὶ πρὶν ἐξέστης φρενῶν.

Haec verba, qualia in libris exstant, quin recte essent tradita nemo fere adhuc fuit qui dubitaret, sola de constructione versus alterius inter Elmsleium, Hermannum alios et Brunckium atque Matthiaeum discrimen intercessit, quorum priores *ἤδη* cum voce *μέμηνας* coniunxere, hi ad ea quae sequntur verba pertinere putarunt, quo nihil languidius fingi posse Hermannus dixit. Utut autem de hac quaestione iudicamus, certe in neutra constructione versum 359 apte equidem possum explicare. *Πρίν* enim illud tali modo adhibitum nihil aliud significare posse puto quam Latinum ‚antea, priore, pristino tempore'; eam ob causam, sive cum praecedentibus sive cum insequentibus verbis *ἤδη* coniungis, verborum *καὶ πρὶν ἐξέστης φρενῶν* nullus esse potest sensus nisi hic: «(etiam) antea, priore tempore de mentis statu deiectus es.» Quod aptum non esse fortasse iam Badhamus et Herwerdenus (ad Soph. Oed. Reg. p. 114) iudicaverunt qui versum 359 hoc modo scribendum praeposuerunt *μέμηνας ἤδη καὶ πρὶν ἐξεστὼς φρενῶν*, quam coniecturam quamvis veri quid teneat, tamen sufficere non puto. Mea enim ex opinione haec genuina versus 359 fuit scriptura:

μέμηνας ἤδη τῶν πρὶν ἐξεστὼς φρενῶν

Simili modo locutum videmus Euripidem in Orestis v. 216 et in Bacch. v. 1271; praeterea componere licet etiam Bacch. 944. —

Restat autem ut de Alciphronis (III 2) iudicem verbis: *μέμηνας, ὦ θυγάτριον, καὶ ἀληθῶς ἐξέστης;* quae cum libenter

concedam e nostro versu posse fluxisse, multo magis puto favere ei quam protuli coniecturae quam eis quae in libris tradita sunt; certe quidem *μέμηνας καὶ ἐξέστης*, si Alciphronem ex memoria Euripidis versum spectasse consideras, idem est ac *μέμηνας ἐξεστώς*.

4.

Bacch. 723 sq.: *αἱ δὲ τὴν τεταγμένην*
ὥραν ἐκίνουν θύρσον εἰς βακχεύματα
Ἴακχον ἀθρόῳ στόματι τὸν Διὸς γόνον
Βρόμιον καλοῦσαι· πᾶν δὲ συνεβάκχευσ᾽ ὄρος
καὶ θῆρες, οὐδὲν δ᾽ ἦν ἀκίνητον δρόμῳ.

Quae omnia sicuti in libris exstant uno *συνεβάκχευσ᾽* excepto, quod collato Longino de subl. p. 265 Porsonus Advers. p. 266 correxit, bene tradita esse omnes statuerunt; neque ipse moverim dubitationem nisi quod paulo aliud de versu postremo mihi finxi iudicium. Nam ut de sententia supremi enuntiati videamus, etsi concedo, bene apteque posse coniungi *ἀκίνητον δρόμῳ*, nihil aliud versum 726 et sequentem posse significare in propatulo est nisi hoc: totus autem mons una bacchabatur ac ferae; nihil non cursu erat motum; quali autem ratione diversissima talia inter se possint coniungi equidem non intellego. Sed ut accuratius sententiam meam exponam: etsi levioris est momenti, quod *δρόμος* parum idonee videtur adhibitus esse ad bacchicum depingendum furorem, quo tandem referenda sunt illa postrema: *οὐδὲν δ᾽ ἦν ἀκίνητον δρόμῳ*? Me iudice haec non dici potuerunt nisi de animalibus, non de aliis quae in Cithaerone exstabant rebus. Tunc autem quid totus versus 727 sibi vult post egregiam illam versus 726 clausulam: *πᾶν δὲ συνεβάκχευσ᾽ ὄρος*, quae fere ipsa bacchicum quendam spirat ardorem, quis unquam hoc pacto est locutus, ut leviora gravissimis postponens primum universum montem bacchico furore paene obrutum fuisse narraret, deinde feras quoque eius vi fuisse infectas

Quae si quis consideraverit, fortasse mecum faciet versum 727 Euripide indignum esse censente. Cuius opinionis nescio an aliunde repeti possit confirmatio. Longini enim loco iam collato haec fere sunt verba: *καὶ παρὰ μὲν Αἰσχύλῳ παραδόξως τὰ τοῦ Λυκούργου βασίλεια κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Διονύσου θεοφορεῖται*

ἐνθουσιᾷ δὴ δῶμα, βακχεύει στέγη·

ὁ δ' Εὐριπίδης τὸ αὐτὸ τοῦθ' ἑτέρως ἐφηδύνας ἐξεφώνησε

πᾶν δὲ συνεβάκχευ' ὄρος.

Unde si repetam iudicium, fortasse obiciatur, ex silentio, ut dicere solent, me conclusisse, neque habeo quo tale opprobrium refutem; attamen non possum quin probabile existumem a Longino sola quae afferet verba in Euripidis fabula lecta esse. Quibus sciolus quidam Byzantinus facillimo opere ut poëtae verba magis explanaret suisque auribus aptiora redderet, malum illum versum 727 adicere potuit. At ne opus quidem esse Longini auctoritate, qua coniecturam meam confirmem, ipse cum versus ei probandae sufficiat, persuasum mihi habeo.

5.

Helen. 497 sqq.: *πολλοὶ γὰρ ὡς εἴξασιν ἐν πολλῇ χθονὶ*
ὀνόματα ταὔτ' (corr. Matth.) *ἔχουσι καὶ πόλις πόλει*
γυνή γυναικί τ'· οὐδὲν οὖν θαυμαστέον.

De sententia horum versuum dubium esse nequit, aptissima quidem sunt verba Menelai mirum illum de altera Helena nuntium, quem modo accepit, secum revolventis ipsiusque animi motum sedantis. Quomodo autem haec verba cum iis, quae praecedunt, congruunt quoque modo cum illis e logica et grammatica ratione cohaerent? In propatulo quidem est, totam Menelai hanc *ῥῆσιν* in duas vel tres dividi partes; quarum prima (483—496) Menelaus cum describatur qualis auditorum novitate paene obrutus quid de iis iudicet nesciat, altera pars magis erectum quidque faciendum sit secum con-

siderantem exhibet; tertia deinde (410—514) arte hac quidem coniuncta cum altera iterum de malis suis cogitantem videmus Menelaum seque ipsum ἀνάγκης necessitate proposita consolantem. Prima antem illa et altera pars quo vinculo inter se coniunctae sunt? rectene verba ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω τί χρὴ λέγειν sequuntur illa πολλοὶ γάρ, ὡς εἴξασιν, κτλ.? Prorsus inepte haec quidem sequuntur, immo opus erat, si quid sentio, pluribus ante describi, quo pacto sensim sensimque Menelai animus sedetur ac tranquilletur. Atque hac tenus, ut nunc video, consentientes mecum habeo Badhamum (praef. in Ion. p. XVI) et Hirzelium (de Eurip. in compon. div. arte p. 47); qui cum ineptissimum perversissimumque ducant, versus 497—499 praecedentibus continuo subiungi, «putidissimas στίχους ἐμβολιμαίους, qui cum praecedentibus aperte pugnant» h. e. vv. 497—499 delendas proponunt. Quo modo quod vitium in hoc loco inest, neque apte neque verisimiliter puto tolli. An putabimus, tali modo orationem Menelai bene instructam fuisse, ut post vv. 483—496 statim subsecuti sint v. 500 sq.? Equidem sic neque sententiarum conexum perspicere possum neque quid initium v. 500 οὐδ᾽ αὖ κτλ. sibi velit intelligere, quod quo referatur non exstat. Contra non solum arte cohaerere mihi videntur haec οὐδ᾽ αὖ κτλ. cum iis quae praecedunt verbis οὐδὲν οὖν θαυμαστέον, sed etiam versus ipsi 497—499 cur putidissimi vocentur, causam non invenio; immo ut priores Menelai dubitationes (490 sqq.) removerentur, fere opus fuit tali vel simili eius conclusione, qualem v. 497 sqq. exhibent. Sed ut iam brevis sim, Badhami coniectura refutata, ea corruptela potius locus noster laborare videtur, ut qui sententiam vv. 490—496 expressam conciliaverint cum versibus 497 sqq. versus, ii librariorum culpa sive alio quodam modo interciderint; hisque verisimile est sententiam expressam fuisse non nimis alienam a postremis illis verbis οὐδὲν οὖν θαυμαστέον; quale ut mihi persuadeam, non modo particula γάρ v. 497, quae sane, ut nunc locus exstat, idoneam rationem non habet, sed etiam conclusivo illo οὖν v. 499 perducor.

6.

Helen. 1678 sq. *τοὺς εὐγενεῖς γὰρ οὐ στυγοῦσι δαίμονες,*
τῶν δ' ἀναριθμήτων μᾶλλόν εἰσιν οἱ πόνοι.

Sic cod. Florentinus. Versus autem posterioris et sententiam et dicendi genus Hartungius iudicavit omnino ab Euripidis usu abhorrere (»und doch kann es kaum einen zweiten in den Tragoedien des Euripides geben, der seiner Denkungsweise sowohl als auch seiner Ausdrucksweise mehr widerstrebte«). Vituperandam enim censuit non solum contemptionem illam hominum obscuro loco natorum versu 1679 expressam ipsamque illam opinionem, ex qua illi pluribus afficerentur malis quam *οἱ εὐγενεῖς;* sed etiam de voce *ἀναρίθμητος* dubitavit: «Folgt nun daraus», inquit, «dass Eur. die gemeinen Leute so ohne weiteres und ausser Zusammenhang mit synonymen Worten *ἀναριθμήτους* genannt haben werde?» Quibus postremis etiam si eam ob causam adsentiri non possum, quod ipso opposito illo *τοὺς εὐγενεῖς* satis clarum esse vocis *ἀναρίθμητος* significatum arbitror, totum versum 1679, qualem nunc habemus quin ineptum esse iudicem facere non possum. Neque vero, cum inepte traditus esset versus, recte Hartungius eo delatus est ut totum suppositicium esse censeret; nam versu 1678 *τοὺς εὐγενεῖς γὰρ οὐ στυγοῦσι δαίμονες* non potuisse terminari Dioscurorum orationem patere mihi videtur. Qui versus quod fere postulat enuntiatum sibi oppositum, unum hoc me iudice esse potest: (*τοὺς εὐγενεῖς γὰρ οὐ στυγοῦσι δαίμονες*), sed plures maioresque eis perferendi sunt labores quam volgi multitudini; hanc vero sententiam in verbis traditis non exstare in aperto est. De restituendi autem ratione cum ipse dubius haererem, Buechelerus mecum communicavit, mutatione satis leni ita versui posse succurri, ut scriberetur: *τῶν ἀναριθμήτων μᾶλλον ὀγκοῦσιν πόνοις; τῶν ἀναριθμήτων* utique habenda esse pro genetivo a comparativo *μᾶλλον* pendente equidem iam proposueram. Atque quo magis ipse persuasum habeo plerosque puto concessuros esse, tali modo summa cum

probabilitate poëtae sententiam et verba in universum recuperata esse, tantum quod verbum pro *εἰσίν* corrupto restituatur ambigere licet; possis enim vel de verbo *αἴρουσιν* cogitare vel quod nescio an probabilius est ceteris, de *αὔξουσιν* conlato Suppl. v. 323 similibusque locis compluribus.

7.

Electr. 603 sq.: *τῷ συγγένωμαι νύχιος ἢ καθ' ἡμέραν;*
ποίαν ὁδὸν τραπώμεθ' εἰς ἐχθροὺς ἐμούς;

Quos versus ab Euripidis manu profectos non esse, iure, videtur mihi posse statui; quam ad sententiam quibus adducar causis breviter exponam. Primum enim, sive cum Hartungio duas illas interrogationes *τῷ συγγένωμαι νύχιος ἢ καθ' ἡμέραν* in unam contrahimus sive cum Seidlero aliisque verba *νύχιος ἢ καθ' ἡμέραν* absolutam per se interrogationem conformare putamus, omnino non intellego, quem aptum sensum verba illa *νύχιος ἢ καθ' ἡμέραν* possint praebere; certe prorsus alia res est in Sophoclis illis versibus a Seidlero conlatis, Electr. 1294: *σήμαιν' ὅπου φανέντες ἢ κεκρυμμένοι γελῶντας ἐχθροὺς παύσομεν τῇ νῦν ὁδῷ.* Deinde versus 604 non solum dicendi genus molestum esse videtur, sed etiam totus versus molestissimus fit eo, quod eadem, quae Orestis iam versibus 599 et 600 quaesiverat, prorsus inlepido modo denuo repetit; quo accedit quod non huic potissimum interrogationi respondet senex, sed ei quam vv. 601 et 602 Orestes protulerat. Denique haud persuadeo mihi, tali quinque vel sex interrogationum cumulo Orestis orationem bene esse exornatam. Immo, tunc demum etiam duobus illis versibus 601 et 602 suam recuperari vim existumo, cum versus 603 et 604 quasi grammatici cuiusdam vel histrionis additamentum damnaverimus.

8.

Heracl. 297 sq. *οὐκ ἔστι τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας*
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι κτλ.

Sic codices *B* et *C*, Stobaei et Orionis libri in priore versu *οὐκ ἔστι παισὶ τοῦδε.* Etsi concessero exemplis illis quae Matthiaeus ad h. v. composuit, praecipue Medeae v. 553, librorum scripturam *τοῦδε ἢ* quodammodo defendi posse, praecipue cum *τοῦδε* illud apud Stobaeum et Orionem alio loco atque in nostris codicibus legatur, prorsus non dubito quin eodem modo ut in compluribus aliis versibus similibus Euripides scripserit:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν παισὶ κάλλιον γέρας
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι.

Cuius dictionis cum comicorum praecipue fragmenta cumulum paene suppeditent exemplorum, Euripidea pauca liceat hic affere. Sic Hecub. 805.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τῶν ἐν ἀνθρώποις ἴσον;

notissimum deinde est Orestis fabulae exordium, alia exstant exempla frgm. 360:

οὐκ ἔστι μητρὸς οὐδὲν ἥδιον τέκνοις

et frgm. 395.

9.

Suppl. 301 sq.: *ἐγὼ δέ σ', ὦ παῖ, πρῶτα μὲν τὰ τῶν θεῶν*
σκοπεῖν κελεύω μὴ σφαλῇς ἀτιμάσας·
σφαλλει γὰρ ἐν τούτῳ μόνῳ τἄλλ' εὖ φρονῶν.

Quorum versuum postremum ab Euripidis contextu alienum esse censenti Nauckio cum libenter assentiar («aut corruptus aut ab Euripide alienus»), in reliquis quoque vitium latere puto quod adhuc editores fefellerit. Verba enim *τὰ τῶν θεῶν σκοπεῖν κελεύω* quamquam suum habere explicatum concedo, neque prorsus apte neque significanter sententiam, qua opus

est, exprimere mihi videntur. Nam *σκοπεῖν* verbum certe non habet nisi aut contemplandi intuendive aut considerandi notionem, per se autem non continet respiciendi timendique significatum. Quare quamvis in verbis *σκοπεῖν τὰ τῶν θεῶν* concedam etiam de respiciendis dis vel rebus divinis cogitari posse, tamen hanc notionem ipsis verbis clarius significantiusque expressum desidero, cum propter ipsius sententiae naturam tum eam ob causam, ut verba *μὴ σφαλῇς ἀτιμάσας* ac prae ceteris *ἀτιμάσας* habeant quo accurate possint referri. Desidero igitur verbum contrarium illi *ἀτιμάζειν* idque facili negotio ita restitui potest, ut scribamus:

ἔγωγε (vel *ἐγὼ δέ*) *σ᾽, ὦ παῖ, πρῶτα μὲν τὰ τῶν θεῶν*
σέβειν κελεύω, μὴ σφαλῇς ἀτιμάσας.

Vocabula *σκοπεῖν* et *σέβειν* non tantopere diversa inter se sunt, ut a libraris ea confusa esse cogitari vix possit; dicendi autem illud genus *τὰ τῶν θεῶν σέβεν* haud opus erit pluribus exemplis confirmari. Unum igitur sat habeo afferre Baccharum versum 1150:

τὸ σωφρονεῖν δὲ καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν
κάλλιστον κτλ.

Ceterum fortasse iuvat memorare, eodem modo, quo Aethra hoc loco proficiscatur ab *εὐσεβίᾳ*, etiam Hippolytum, cum contra Thesei convicia sese defendat, sic ordiri:

ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν
φίλοις τε χρῆσθαι κτλ.

Vita.

Natus sum Christianus Ludovicus Georgius Baier Cassellis Hassorum die XXIII. m. Martii a. h. s. LIV. patre Alberto Elisabetha matre. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum primordiis imbutus patriae urbis adii gymnasium, Lyceum Fridericianum, quod Matthiae sub auspiciis tunc temporis florebat. Deinde verno a. LXX. Berolinensem inii disciplinam annoque post Bonnensem hanc inlustrem, qua ad hoc usque temporis momentum frui licuit. Docuerunt me Bergk, Bernays, Buecheler, Haupt, Hiller, Kirchhoff, Usener philologi; Simrock germanicus; Weber sanscriticus; Joh. Schmidt, Steinthal linguarum scrutatores; Droysen, de Sybel, Mommsen historici; Ern. Curtius, Dilthey, Heydemann, Kekulé archaeologi; Althaus, Meyer philosophi; theologus catholicus Reusch. In philologicum seminarium regium Bonnense ut reciperer, cuius sodalis fui per tria semestria, per unum senior, Buecheleri, Heimsoethi, Useneri insigni benevolentia factum est. Praeterea exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologicis et epigraphicis Buecheler et Hiller, archaeologicis Kekulé, paedagogicis Meyer. Quos viros omnes optime de me meritos nunquam fiet quin grato animo profitear. Prae ceteris vero singulari me sibi devinxerunt benevolentia Buecheler et Usener, quorum summa cum veneratione mihi semper colenda erunt nomina.

Sententiae controversae.

I. Aeschyl. Sept. adv. Th. v. 216 sqq.:

πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ·
οὐκοῦν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν; ἀλλ' οὖν θεοὺς
τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος·

exceptis vocabulis τοὺς τῆς sani sunt unique Eteocli omnes tribuendi.

II. Sophocles Polyxenae fabulam ita narravit, ut, ante quam Achillis εἴδωλον appareret, Polyxena immolaretur.

III. Eurip. Electr. v. 990 corrigendum est:

καὶ τοῖν ἀμφοῖν σύγγονε κούροιν
Διός.

IV. Eurip. Baccharum qui in libris hodie legitur prologus, eius non sunt genuini nisi hi versus: 1—13. 20. 26—27. 32. 34—38. 43—49. 55—63.

V. In Hecubae anapaestis (Eurip. Hec. 59—97) quae ad Polyxenam pertinent, iure dubites, num Euripidi ipsi debeantur.


VI. Lucil. sat. XXVI. fr. XLI. Muell. (Non. 324, 9) scribendum est:

coniugem infidam, i n q u i n a t a m familiam, inpuram domum.

VII. Quae de Neophrone poëta tragico in praef. edit. Medeae Euripideae nuper disseruit Weckleinius, maximam partem veri sunt similia.

VIII. Cyclops Euripidea paullo ante Aristophanis Vespas videtur acta esse.

IX. Tragicorum Graecorum, inprimis Euripidis, fragmenta, quae in Stobaei florilegio exstant, e libris desumpta sunt, in quibus fabulae secundum literarum ordinem dispositae erant.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 049 580 9

